

DIATRIBA
DE
DIVORTIATORUM JURE
AUTORE
JOSEPHO MOTTA
VENETO
Auditore Metropolitano Aquilejensi.

Ab eodem aucta, & recognita; Additis etiam, in gratiam Eruditorum, utriusque Imperii Constitutionibus, ac nonnullis Synodalibus Sententiis Orientis Patriarcharum, aliisque Græcæ vetustatis monumentis, ex profunda oblivione erutis, quæ Divortiatoriam rem maximè illustrant.

EDITIO SECUNDA.

DICATA

Eminentiss. & Reverendiss. S. R. E. Cardinali

CORNELIO BENTIVOLO

SACRÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS PHILIPPI V.

Hispaniarum Regis apud Sanctam Sedem Ministro Plenipotentiario.



VENETIIS, M. DCCXXVII.
TYPIS SOCIETATIS ALBRITIANÆ.
SUPERIORUM PERMISSU.

Emin.me Princeps.



Uamquam me non lateat, nil nisi præstantissimum sub præclarissimis Tanti Principis *auspiciis in lucem prodire fas esse: tamen ei celebritati, qua Opus istud, cùm primùm prælo excusum lucem intuitum est, eruditi viri excepere, venia danda est; si pudore hominis necquiquam reclamante Liber hic in sinum, complexumque Tuum gestiat irruere. Quorsum enim animis despondeam, Teque in operis hujus tutelam vocare minimè ausim, cùm*

ingenio, ac doctrina clarissimi Abbatis Josephi Motta numeris omnibus absolutissimum opus, iterum in majorem amplitudinem auctum, de integro prodiens animos faciat, spondeatque futurum, ut pro animi Tui comitate æqui, bonique facias, & consulas? Toties probata humanitas Tua, qua domi, forisque clarus in summa hominum commendatione versaris, facere haudquaquam poterat, quin procul formido quæcumque, & pudor abjiceretur. Te enim, cum Romæ armorum Præfectus, ne à sævissimis hostibus, qui tunc imminebant, quid Romana res caperet detrimenti, videres, noveramus; atque miram in summa rerum potestate comitatem Tuam, qua omnibus laudibus evehebaris, audiebamus: Te cùm ad potentissimum illum Galliarum Regem Legatus Romani Pontificis certamen difficile subire jussus es, pro Tua humanitate egisse, transegisseque, minimè ignorabamus; ut de rebus gravissimis agens, omnibus probatus egregiè (quæ Viri felicitas!) summa ubique nominis celebritate floreres. Te, cùm optimè de Summo Antistite meritum, purpureoque apice cohonestatum, Flaminia Provincia perspexit, ob morum Tuorum facilitatem eo studio prosequutam esse intelligebamus; ut, neque suæ erga Te benevolentiæ, neque Tuis erga ipsam meritis paria se facturam uspiam crediderit, nisi Ravennæ in ædium publicarum

aula ornatissimam Tibi statuam poneret, Amoris sui, Virtutumque Tuarum perenne monumentum futuram: Accedit præterea eximia Tua in literas, ac politioribus exornatos artibus viros, quibus apprimè excultus es, charitas, qua eruditissimum quemque complecteris; inter quos maximè è voto sibi contigisse Operis hujus Autor lætari meritò poterit, cujus fronti præclarissima nominis Tui nota præfulserit. Optimis quidem avibus recens hæc typorum fœtura renascitur, cùm tanta ipsi lucis facta fuerit accessio; tum quòd sedulam impenderit Autor operam, atque ad doctissimorum Græcorum lucernam vigilarit, ut multa ex illo idiomate depromeret, plures Imperialium constitutionum locos afferret, omniaque ex sacra, profanaque Historia desumptis luminibus exornaret; tum verò præsertim, quòd Tibi inscriptum, [quod ipsum exquisitissimæ laudis est instar] eximia Tui Nominis commendet autoritas. Sentiet quidem ille, amplissimum laborum suorum retulisse fructum, cùm operi suo tantum decoris accessisse cognoverit; cùm sibi Illum patrocinari intellexerit, qui & Generis claritate, & rerum gestarum gloria, ac bonorum splendore conspicuus, in Cœlum gentium omnium laudibus efferatur. Verùm non in eorum abibo sententiam, qui Patrono opus dicantes, in ipsius, ac Gentis decora dilabuntur. Res enim immensi

prope-

propemodum operis esset, atque ultra epistolæ fines hæc, licèt brevis, commemoratio consurgeret, cùm ipsarum laudum origo ab Entio Sardorum Rege esset repetenda, ac per potentissimos Majores Tuos, qui Bononiæ imperitarunt, deducenda; ita ut in uberrima laudum segete difficillimum esset exitum invenire. Hæc igitur quanta sunt, quæ certè maxima sunt, me tacitum præterire, satius esse reor, quàm pauca delibare, cùm majora semper superessent dicenda; præcipuè cùm BENTIVOLÆ GENTIS *fama usquequaque pervaserit, ut nemo rerum ignarus sit adeò, atque sensus communis expers, qui ipsius decora minimè celebrari intellexerit. Modestiæ igitur Tuæ,* Princeps Eminentissime, *meique ingenii tenuitati consulam: Teque ipsum obtestabor, ut pro animi Tui humanitate Opus istud tuearis; meque in censum Tibi devotorum recipere velis, ac jubeas. Incolumes, longævosque dies ex corde precor. Vale.*

Venetiis die 27. Mensis Martii 1727.

Emin. Tuæ

Humilimus, & Obsequentiss. Servus
Matthæus Masetti.

D I.

DIDACO YVERAS
LUSITANO

JOSEPHUS MOTTA VENETUS S. D.

OCtobris ferias, ſeu feriatam Διατριβὴν ruris otio, aliquando non ingrato, indulgens, tibi mitto Vir doctiſſime. Hæc, quam jure ἐκτρωσμὸν vocare poteris, cui vix conceptæ, ætas defecit, tuis auſpiciis, ne dicam quadam tui imperii vi, ejecta erumpit. Pluries à me petiſti, ut tibi ſcriptis ſignificarem, quænam mihi arrideat explicatio *cap. 19. verſ. 9. Matth. Dico autem vobis, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimiſſam duxerit, mæchatur*, ex pluribus, quæ à Patribus tùm Græcis, tùm Latinis afferuntur. Nec ſatis tibi fuit reſpondiſſe, æquè omnes interpretationes me accipere, quæ à Catholicis autoribus approbantur. Iterùm itaque idem mandaſti. Hoc unum mihi occurrit pro excuſatione, in maxima difficultate, qua cruciari ſolent ſcriptores, quod tuis mandatis obniti non debui. Quàm primum, Deo favente, lucubrationes meas, quibus, ut ſcis, ſacrum eſt quidquid ſupereſt è Foro, habebis. Si quid erratum indulge, & corrige. Vale ſcientiarum omnium decus.

Venetiis. Prid. Id. Nov. 1713.

Rev.

Rev. P. Mag. in toto Sereniſſimo Venetiarum Dominio contra Hæreticam Pravitatem Inq. Gen. &c.

EGregii Viri Abbatis Motta *Diatriba de Divortiatorum Jure* accuratè perlegi; tantumque abeſt, ut à Catholica Religione aliquid in ea diſſonum invenerim, ut potiùs Orthodoxis Dogmatibus confirmandis cuncta in ea ordinata eſſe, proculdubio ſit aſſerendum. Idcircò nigrum Theta illi præfigendum exiſtimo, qui vel unum Jota de illa demere machinetur. Exultet igitur prælum tanti operis dignitate illuſtrandum, & Reipublicæ Literariæ ornamento, ac utilitati coronidem afferenti. Ita cenſeo.

Ego Fr. Albertus Lorandi P. T. R.

Devotiſs. Obligatiſs.
Ex Aſſe famulus &c.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, & approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Diatriba de Divortiatorum Jure*, *Autore Joſepho Motta*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza alla *Società Albriziana*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 25. Marzo 1727.

(*Carlo Ruzzini*, *K. Proc. Riform.*
(*Alviſe Piſani*, *K. Proc. Riform.*
(*Z. Piero Paſqualigo*, *Riform.*

Agoſtino Gadaldini Seg.

D E

DE
DIVORTIATORUM
JURE.

I. Qui hominem de limo terræ formavit, *Gen.* 2. vel secundùm Hebræum עפר *ngaphar*, & Græcum πλάσειν plasmavit, costa ipsius in mulierem transformata, adjutricem ὁμοσάρκον illi ex ipsius membris conjunxit, *Leo Imper. const.* 31. *in princ.* Hinc ex uno duo fecit, ut rursus, per conjugalem nexum, per quem vir, Numine auspice, uxori εἰς σάρκα μίαν, arctissimè conglutinatur, *Matth.* 19. imò in unam consociatur animam, *Cyrill. in Comment. Malach. cap.* 2. ex duobus fieret unum, *Gaza relat. à Turrian. ad Const. Clem. lib.* 6. ac ex duobus imperfectis, viro, & uxore, perfectus unus evaderet homo, *Plat. dialog. de amor.* Unus homo, natura, conspiratione, conjunctione, affectu, vita, more, *D. Clemen. Apost. Const. lib.* 7. *cap.* 3. *l.* 1. *de rit. nupt. l. adversf. C. de crim. exp. hær.* ut in uno conformentur animo duo corpora, & in duobus corporibus unus animus, unusque consensus divini, humanique juris concordia, & beneficio, *lib.* 2. *ff. de rit. nupt.* Hæc ipsa nos opificis & creatoris omnium sapientia docuit. Is enim, cùm hominem in rerum naturam produxisset, non ad eundem modum, & mulierem fingere voluit, quamvis id facere posset; verùm hanc è viro, ut diximus, condidit, ut unitæ, copulatæque unius in personis duabus carnis inseparabilem conjunctionem sanciret, *ex libr. Leo. & const. A. A. tit.* 13. *de solut. matr. pen. Leuncl. fol.* 106. Unionis magna vis, ait D. Chrysostomus *homil.* 13. solers Dei artificium, mysterium conjugii. Fecit ex duobus unum, ut rursus, cùm hos duos fecisset unum, sic facit unum. Mulier enim, & vir non sunt duo homines, sed homo unus. Πολλὴ τῆς ἑνότητος, ἡ ἰσχύς. Τὸ εὐμήχανον τοῦ θεοῦ, γάμου τὸ μυστήριον. ἐποίησεν ἐξ ἑνὸς ἕνα. καὶ πάλιν τοὺς δύο τούτους ἕνα ποιήσας οὕτω ποιεῖ ἕνα, γυνὴ γὰρ, καὶ ἀνὴρ οὐκ εἰσὶν ἄνθρωποι δύο ἀλλ' ἄνθρωπος εἷς. Ut enim planta una inserta alteri naturam suam mutat, eandem-

demque substantiam, cum alia, cui est inserta, sumit; ità uxor conjuncta fœdere conjugalis amoris viro, unam quasi plantam, unamque naturam animorum, & corporum insitione facit, *Cad. Libr. Oecon. c. 3. q. 2.* Hinc vir in uxore, & uxor in viro semper vivere cogitur; quasi non sine etiam naturæ injuria; imperat siquidem Divinus institutor homini, vale dicere patri, & matri, ut firmiùs conglutinetur uxori suæ, *Gen. 2. 25. & ibi Corn.* At pater, & mater Naturæ equidem opus; Vir autem, & uxor divini Numinis mysterium; priusque vir uxorem, uxorque virum, quàm patrem, quàm matrem habuit. Huic sacro conjugali nexui; non morum conjugum diversitas, non tædium, non senium, non sterilitas, non ægritudo, non pestilens, non elefanticus, non quivis alius contagiosus morbus, non hæreseos crimen, non ulla humana vis insultat, *cap. 18. caus. 32. q. 5. cap. pen. caus. ead. q. 7. Zacch. 49. medicoleg. lib. IX. tit. X.* quos enim Deus conjunxit homo non separat, *Matth. cap. 19.* ut nunquam sine altera alter esset, quorum sine altero altera creata non est. Natura ipsa huic indissolubilitati patrocinatur; quia nemini licet discedere à seipso, nemini seipsum relinquere, *Agripp. de matr. Sacram.* Apud Judæos autem vix adulterio hæc vis solvendi conjugium permissa, ea ratione, quia dumtaxat adulterium à carne separat, & scindit, *infra.* Hanc conjugalem unionem vix in primo sui ortu indissolubilem, πρωτοπλάστος, vixque in lucem editus proclamavit divino spiritu afflante, ab eoque sacri conjugii leges edoctus, *Gen. c. 2. Epiphan. lib. 1. t. 2. hæres. 33. Trident. Sess. 24. de matr.*

II. Hæc veritas obstat asserentibus, jure Noachidarum, ab ipsis rerum initiis, communi conjuges mutuo consensu in indissolubilem sacrum nexum agere potuisse, *D. Hieron. lib. 1. ad Jovin.* Huic tamen primæ societati, in ipsam fœderis conjugalis naturam, unam ex duobus, carnem requirentem, concessione πολυγαμίας Deo, non dispensante, sed ex aliqua gravi, & necessaria causa vix permittente, legimus præjudicatum, *Gen. 2. Paralip. 15. Jud. 8. 2. Reg. 3. & 20. 3. Reg. 11.* tam ante, quàm sub lege, *Tigh. mox citan.* Laban siquidem, etsi Polygamus, rogat Jacobum, ne alteram uxorem superinducat, *Gen. 31. vers. 50.* ratus, polygamiam vitæ minimè, & naturæ congruam, imò sacræ legi conjugii discordem. Ac quæ lex! Nescit de lege, ait Persicth *ad Levit. 18.* qui vetitum asserat plures uxores ducere. Nulla lege fuisse prohibitum pluribus uti uxoribus, testatur Augustinus *de Doct. Christ. lib. 3. c. 12. 18. & 22.*

& 22. & de Civitat. Dei lib. 6. cap. 38. ca. 32. 7. 4. cap. 7. Quare Grotius *de jure Bel. & pac. lib. 2. cap. 4.* 5. ex illa conditione, qua uni mari fœminam, non nisi unam Deus attribuit, satis apparere, inquit, quid optimum sit, Deoque gratissimum, & hinc sequi, semper id fuisse egregium, & laudabile, non tamen ut aliter facere nefas esset, quia ubi non est lex, ibi non est legis transgressio; at lex de ea re nulla illis temporibus extabat. Grotius sententiam habuit ab Ambros. *de Patriarch.* Deus autem in Paradiso conjugium laudaverat, ut adulterium damnaret, *cap. dixit Sara* 27. *pag.* 4. Sed Grotium redarguit Joh. Tesmarus, *ad d. l. Grotii*, & antea glossa, *ad d. c. dixit Sara verb. interdictum*. Non consilium Numinis, sed præceptum fuit de unica tantùm uxore. Dimittet homo patrem, & matrem, & cohærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Explicat D. Clemens *Apostol. Constit. lib. 8. cap. 2.* Deus enim unam uxorem dedit viro, non plures, *Innoc. in cap. gaudemus de divort.* unaque costa à principio in unam uxorem versa est, *Agripp. ubi supra*. Deus creat Adam, & ex eo multiplicari vult humanum genus, *Genes.* 2. Non tamen duas uxores, nec pellicem, sed unicam uxorem Adamo adjungit. Ex his excluditur Blasphemia Ochini, *in dialog. pro polyg.* Hæc lex est conjugii à Numine lata, sexta die Orbis, ac in anima Adæ exarata, *Corn. à Lap. ad 2. c. Gen.* non expressa, sed tacita, *gloss. sup. cap. 31. q. 1. cap. quomodo*. In hanc peccavit primus polygamus Lamech, *Gen.* 4. & polygamiam eadem cathaclysmi pœna delevit, *Hieron. contrà Jovin.* Numerus conjugii, ait Tertullianus *in libr. de exhort. cast.* à maledicto viro incepit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit. Præter Lamech ab Adam ad Abraham, scilicet per annos 3270. ut vult Ado Vienensis in Chro. vel ut supputat Gerardus Mercator 3140. aut juxtà Petavium, & Cornelium 1946. polygamia sacra conjugii jura non violavit. Hoc Christus declaravit, *Matth.* 19. Rationem autem habemus ab Apostolo, 1. *Cor.* 7. Vir non habet potestatem sui Corporis, sed uxor. Animus ab uxore in solidum marito datur æquali retributione pensari debet, *Grot. de verit. relig. Christ. lib. 2. c.* 14. Si igitur sui potestatem vir non habet, nec quidem ad alteram transferre potest, *l. nemo ff. de reg. jur.* Nec prioris fœminæ consensus vitium polygamiæ excludit; quemadmodum Sara supposuit Abrahamo ancillam. Contractus indissolubilis, & perfecta unitas conditionem talem non admittit. Juri proprio quis

renuntiare potest, non tamen divino, quo sancitum est; ut duo in carnem unam ita transeant, ut dicente Apostolo, nec se se fraudare queant invicem. Hinc iniquum est, si jus suum uxori arripere velit vir, sibique potestatem, & copiam etiam aliis facere, *Bez. t. p. tr. de polyg.*

III. Damnat præpotentis Numinis lex multorum populorum errores, qui partim communes habuere uxores, ex integris civitatibus lupanaria facientes, *Plat. de Rep. lib.* 4. partim proprias quidem, sed plures simul, partim alternas, partim vel semel, vel sæpiùs aliis prostituerunt, juxtà Numæ legem, *Plat. in Num. & in Lyc. Xenof.* de *Spart. Rep. Ælian. lib.* 3. *ver. Strab. lib.* 11. *&* 16. *Marcell. lib.* 14. *& Cæsar de Bell. Gallic. lib.* 5. partim adjunxerunt legitimo thoro concubinas. Hujusmodi conjunctionis ipsius naturæ juri resistere tradunt viri eruditi, *Puffend. lib.* 6. *de jur. nat. & gent. cap.* 1. *pag.* 775. *Vvolfan. Synop. jure gent. cap.* 3. *num.* 28. *Zigl. & alii*, ab animalibus etiam edocti, à quibus hominum libido corrigi, & redargui videtur, *Arnis. de divortio cap.* 6. *num.* 4. *Connen. lib.* 1. *comm. cap.* 4. *v.* 5. Proh Pudor! cùm etiam inter animalia sit fœdus aliquod conjugale, quantò æquius In homine, ne sanctissimum animal homo incerto nascatur semine, extinctis parentum, & liberorum affectionibus, *Vid. Salust. de bell. Jugurt. Ammian.* de *Pers. lib.* 23.

IV. Exceptum ab hac uxorum indulgentia afferunt Talmudistæ *in Messocht Joma. cap.* 1. Pontificem, qui virginem egressam minorem ætatem, annos scilicet 12. dumtaxat ducere poterat, *Levit.* 21. 13. *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimot. cap.* 6. *f.* 59. *Talmud. in Magid. Misna halach Isurib. Maimon. de Mosai. & vet. jur. enucl. & halach Isurib. d. cap.* 17. Hujus veritatis argumentum dessumunt ex eo, quòd In præcepto de Pontificis uxore dicatur נקבה *fœminam* in singulari numero. Hinc Flavius lib. 3. cap. 10. μόνην δέδωκε γαμεῖν παρθένον, καὶ ταύτην φυλάττειν, *solam, & unicam ei concessit virginem ducere, atque eam servare*. Quòd si duas habuisset uxores, utique cum altera faciendum illi divortium fuisset, ante diem x. Mensis Tisri; ni id fecisset, obire eum piaculare sacrum solemni illo die in Templi adytis nequivisset, *Nicol. Mangeor. in Cod. de mos. & vet. jur. enucl. p.* 161. *Petr. Cunæ.* de *Rep. Hebr. lib.* 2. *c.* 3. זונה *zona* profanam, & repudiatam, quod & Sacerdotibus minoribus vetitum, *Levit.* 21. Hinc Pontifici interdictum, præter scortum ducere viduam, & qualemcunque vitiatam: quod intelli-

gen-

gendum est, dum Pontifex est in dignitate; nam si antequam in eam succederet, vitiatam habuisset, aut cum ea sponsalia iniviffet, retinenda erat, *Mysn. tit. Jabimot. c. 6. Talmud. Babyl. f. 61. Seph. Siph. fol.* 47. Argumentum indissolubilitatis sacri nexus, quam nec Pontificia dignitas solvere poterat, & cui sacerdotii decus haud quibat resistere. Hujus Pontificii repudii exemplum præbent ipsi Talmudistæ, contradictore Josepho *lib. 9. q. c....* imò sacro textu Paralip. *c.... Magid. Misn. ad halach. Ijurib. May. d. c.* 17. ubi Po: juxtà Rabbi Abraham pridiè festi expiationum libello repudii uxorum alteram rejecit. Cæteris quoque sacerdoribus interdictum fœminam ducere, quæ quæstum corpore fecisset, *Levit.* 21. aut servam, vel captivam, cauponariam, aut stabulariam, ac repudiatam, *Joseph. 3. c.* 14. Sunt etiam qui opinantur iis solùm legitimam uxorem fuisse virginem, *Grot. ad Levit. c.* 21. cui tamen resistunt Rabbini; Enimverò hoc singulare fuit, sicut apud Ægyptios, & Romanos, quorum Pontificibus unica uxor, *Diod. sicul. lib. 2. rer. antiq. & Tertul. lib. de exhort. cast.* Nam cæteris herclè Judæis vulgare fuit plures uxores ducere, *Joseph. lib. 17. c.* 1. non tamen per legem, uti censuit Cunæus, *d. l. c. 3.* sed licentia, aut Magistrorum conniventia; imò quotquot alere potuissent, nisi pactis conventis aliter esset provisum, *Liebofoot in Hor. Heb.* Hanc tamen uxorum libidinem sapientes coercuere, ne quis, & si opulentissimus, plus quatuor jungeretur, *Maim. Hal. Ishooth, c.* 14. ipsique Regi interdictum, ultra octodecim multiplicare, sive uxores, sive concubinas, *Mysn. tit. Janhed. c. 2. Talmud. Babyl. f.* 21. *Moses Cotzen. pracept. negat.* 222. ita ut utrumque genus octodecim non excederet *Maym. Halach. Melakim c. 3. Coozen ubi suprà.* Satis consultum existimantes hoc numero legi, *Deut. 17. vers.* 17. prohibenti Regibus plures uxores habere. Concubinæ siquidem nondum expressa lege vetitæ erant οὔπω γὰρ ταῦτα τότε κεκώλυτο, *Chrisost. de Sar.* Hæ non aliter habebantur ab uxoribus, excepto quod sine nuptiarum ritu, pactisque dotalibus, justa uxor non fiebat, quæ concubinatus non servabat. *Gemar. Babyl. ad tit. Janhed. f.* 21. Nec apud Romanos nisi dignitate distabant, *l. item 49. §. 4. de leg. 3.* Augusto Imp. Livia uxor undequaque pulchras conquisivit puellas, quibus pellicum loco in senio utebatur, *Suet. in August.* Stratonica uxor Decotano suasit, ut electam pro concubina sibi jungeret, *Plut. decl. mul.* Hæc & apud Christianos obtinuere, *Conc. Tol. l. c. 17. in c. 15. qui dist. 54. ubi Gratian. & in c. concubina, & c. solet*

c. solet 32. *l.* 2. *August. de bon. conjug. c.* . . *Justin. Nov.* 18. apud quos concubina dicta ἡμίγαμος, quasi semi-conjux, *Cujac. in parat. de concub.* Hinc est, quòd concubinam habens non repellitur à communione, *d. c. is, qui, & Palea relat. à Grat. dist.* 34. Ex his cessare debuerat Arnisei admiratio, *de mar. & uxor. c.* 3, mirantis, Pontifices admisisse ad officium illum, qui ex concubina filium susceperat, non autem illum, qui secundam uxorem duxerat; nam in *d. c.* fraternitatis *dist.* 34. de ancilla, seu amasia, non de uxore, aut concubina, proprie dicta agitur. Sed redeamus. Nihilominus Rehoboamo Regi octodecim fuere uxores, & sexaginta concubinæ, 2. *paral.* 11. 21. *Joseph. lib.* 8. *c.* 5. Quis Regiæ libidini contraire potest? Quare intelligimus, ait Augustinus *q.* 26. tunc permissum Regibus plures uxores habere, quàm unam, uti habuit David, non autem multas, ut Salamon, qui dicitur septingentas habuisse uxores, & ducentas concubinas *lib.* 3. *Reg. c.* 11. *Joseph. lib.* 6. *c.* . .

V. Verùm temporum revolutione invaluit aliquibus in locis, ex Magistrorum monitis, aut consiliis, mos de unica uxore ducenda, vetitaque fuit polygamia sub anathemate, *Rab. Joseph. Karo in Sulch. Aruch. lib. Abenhaezer. c.* 1. §. 10. *Rab. Mos. Iserl. ibi. Gem. Babyl. ad tit. Jabemot. c.* 6. Hinc fortassè Tertullianus *de monog. c.* 7. Ecce, inquit, in veteri lege animadverto castratam licentiam sæpiùs nubendi. Judæorum polygamiam imitatæ sunt barbaræ omnes nationes, exceptis Germanis, apud quos severa matrimonia; nec ullam partem magis laudaveris, *Tacit. de morib. Germ.* Nam propè soli Barbarorum singulis uxoribus contenti, præter paucos, qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur, *Cæsar. lib.* 1. *de bell. Gall. in fin.* Tartari, lege sua suadente, quaternas ducunt uxores, & in singulas eorum pellices denas, *Michalon. de morib. Tartar. f.* 196. forsasse edocti à Valdimero Moscovita, qui 500. uxores habuit, *Sigism. Bar. in Histor. Muscov.* Turcæ quoque ex ingenuis ducunt in matrimonium binas, ternas, quaternas, non plures, *Alcor. Sur.* 4. Hoc hausit legislator, ex Talmudistarum consiliis, & placitis, *Vide Maim. Hal. Isboth. c.* 14. Ex ancillis verò, quot fœminas alere possunt, *Maracc. refut. ad Alcor. ibi*; ut pariter docuere Rabbini, *vide Maim. ibi*. Quid de Indiæ occidentalis populis? Horum Rex Alcazares 400. Guaca verò Peruanorum Rex ducentas dicitur habuisse, *Histor. Temps. Ind. Bodin. de Rep. lib.* 5. *c.* 1. & in unius Pacel Tyranni ædibus octuaginta uxores invenere Hispani, *Mart.* 8. *dec.* 3. Hujusmodi

mores

mores Afris, *Herod. lib. 2. Diod. lib. 2. Joseph. lib. 4. Curt. lib. 4. Justin. lib. 44. Tertull. lib. ad uxorem*, qui pluralitatem uxorum in institutis omnium Asiæ populorum fuisse testantur. Unico verbo polygamiam benè appellabis oecumenicam *Alex. ab Alex. lib. 1. dier. gen. c. 24. Tiraq. de leg. connub. leg. 7. n. 10. Jo. Boem. de morib. & gen. omn. gent. c. 5. Menoch. de arbitr. jud. lib. 2. cent. 4. Grot. & alii.* Nec hic finis libidinis. Apud Garamantes (quos malè Nasamones censet Bessar. *lib. 4. Apol.* cum hi interioris, sed Marmaricæ Lybiæ populi extiterint) & Brachmanes, sive sapientes Indos, *Arrian. in hist. Alex. Mag.* uxores communes, *Solin. c. 33. Mela lib. 1. c. 4.* Ita apud Britannos , *Cæsar lib. 5. de bell. Gallic.* De his Socrates *hist. lib. 1. c. 18.* κοινὰς εἶναι παρ' αὐτοῖς τὰς γυναῖκας ἐγχώριος νόμος ἐκέλευε. *Patria lex jubebat communes apud illos esse uxores.* Et quod magis mireris, non abfuere ab hujusmodi labe , aliqui ex primis Christianis . Epiphanes siquidem cum patre suo, & sectæ antistite Carpocrate, ac sodalibus suis communes esse hominum uxores sanclvit, ex Platonis de Republica libris occasionem nactus, *Epiph. hæref. 32.* Hujus rei argumenta præbet Clemens *epist. 5. relat. in can. dilectissimi 12. q. 1. Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse*, ait, *Communia debere esse omnia, in omnibus autem sine dubio, & conjuges.* Quare uxoriam Communionem, seu larvatam Status arcanis libidinem, quam perfecta illa Respublica, quæ nusquam extitit, & cujus exemplar posuit tantùm in Cœlo illius ferè alies divinus Architectus, naturæ, divinoque juri repugnantem repudiandam ab omni humana societate, nec excusandam exemplo Essenorum, Stoicorum, Garamantum, aliorumque, *Besso. lib. 4. apol. Porphyr. in vit. Phot. Ficin. ac Serrad. ad lib. 5. polit. Piccol. grad. 10. c. 25.*

VI. Horum mores vehementer damnat etiam Tertullianus *in Apolog. Vid. Theod. q. Græcan. affect. qui est de leg.* Sed prædicta verba Clementis: *In omnibus autem sine dubio, & conjuges.* absunt in recentioribus Conciliorum editionibus impressis , & duobus ipsius manuscriptis codicibus, uno Vaticano, altero Bibliothecæ S. Marci Florentiæ, & ab Anselmo . In hanc communem uxoriam libidinem vide censuram Salviani *lib. 8. de Guber. Dei* . Cæterum prædicta Judæorum conjugalis licentia etiam severitate legum antiquata. Theodosius siquidem Imperator anno *393.* ut notat Jacobus Gothofredus *Chron. Cod. Theod. f. m.* 128. per legem, quæ est *7. C. de Juda.* prohibuit, *ne morem suum in conjunctionibus retinerent, neve juxta legem suam*

nuptias

nuptias sortirentur, nec in diversa sub uno tempore conjugia convenirent; nisi primùm repudiassent, *Tiraq. de leg. conjug. l. 7. gloss. 1. p. 7. n. 14. & de jure prot. quæst. 66. n. 25. Vide in Basilicis lib. 1. tit. περὶ ἰουδαίων, ne juxta leges communes Judæi matrimonia contrahunto*. His demonstratur, polygamiam apud Judæos perdurasse, usque ad illam ætatem, & de sua testatur Justinus *in Tryph.* Nam Judæis tum ex Julii, *Joseph. lib. 14. cap. 17.* tum ex Augusti indultu libertas amplissima permissa νομοῖς πατρίοις, moribusque retinendis, quæ à Cajo Caligula Augusto interturbata, iterum à Claudio indulta, & in integrum restituta, *Vid. Joseph. lib. 19. c. 4.* Crimen tamen non fuit, sed mos, ut ait Augustinus *lib. 22. contr. Faust. relat. à Gratiano in cap. objiciuntur 32. q. 4.* malè ab ipso, D. Ambrosio attributo. At si ad initia recurrendum in rebus controversis, ut innuit Dionysius Gothofredus *ad d. leg. 7. in verb. diversa*, nec mos, nisi dispensatus, aut divinitùs inspiratus, *gloss. in verb. qui in c. gaudemus de divor.* quod enim ignoscitur, & non præcipitur, non statim sine vitio est, *text. in cap. Nervi 13. dist. & D. Marc. l. & si quis T. Divus ff. de relig. & sumpt. funer.* Ex indulgentia est, inquit Tertullianus *in libro de exhort. ad cast.* id quod permittitur, quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen habet aliquam causam in loco, cui indulgetur, de invita venit voluntate passa causam sui, quæ cogit voluntatem. Hinc catholici Patres vix à peccati labe defendunt dispensatione divina, quasi Deus relaxaverit jus suum, & naturæ, *Thom. 4. disp. 33. quæst. 1. art. 2. Bellarm. de matr. sacr. cap. 11. Alphons. de Castr. lib. 6.* Reformati verò docent, peccasse quidem, sed peccatum probabili ignorantia excusant, *Bez. de polyg. Dana. lib. 2. Eth. Christ. cap. 4.* Ita videntur excusare Abrahamum, & Jacobum Augustinus *lib. 16. & 22. contra Faustum*, Hieronymus *ad Gerunt.* Philo *in lib. de Abraham.* Masius *in c. 2. Jos.* quasi sibi licere crediderint, quod communi more cæteris gentibus licere viderent. Verùm, quod mirum est, quodque Azorio displicet *lib. 6. c. 13. q. 1.* Bellarminus dispensationem divinam ad polygamos Ethnicos amplificat, quæ nec pro Patribus probari potest, nec, quia toleratur, præcipitur, aut dispensatur. Tolerat Deus etiam vagos concubitus, quando jubet abstinere à fratribus, & sororibus, sive foris, sive intus genitis, *Lev. 18.* Videtur tolerare meretrices, quando meretricium vetat inferri in ærarium Templi, *Deut. 23. Vid. Arnis. de Polyg.* Hujusmodi

mores

mores improbat Euripides, quantumvis bigamus, *in Androm. Non enim honestum, unum virum habere habenas duarum mulierum*. Huic malo intendens Cecrops Atheniensium Rex primus legem tulit de Monogamia *ex Athena. lib.* 13. *c.* 1. Nec displicuit aliquando plurium nuptiarum solemnitas & Romanis. Julius Cæsar etenim, quem Curio omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem dixit, Helvium Cinnam Tribunum plebis impulit, ut legem πολυγαμίας, ferret ad populo indulgendum, liberorum quærendorum causa, quot vellet, cuique uxores ducere, ut Cæsarionem, quem de Cleopatra susceperat, hæredem faceret; quod, & Socrates, & Demetrius, & Euripides factitasse fertur, *Tiraq. de leg. Connub. p.* 55. 59. Lex tamen repudiata est, *Svet. in Jul. cap.* 52. Et Jurisprudentes, etsi Ethnici, *l.* 1. *in fin. ff. de his, qui not.* & Impp. publica lege vetarunt, Infamiæ pœna subjecta, ne quis binas uxores haberet, *l.* 18. *de Adult. l. neminem c. de incest. nupt. Nov.* 18. *cap.* 2. §. 6. *Inst. de nupt. l.* 15. *ſ.* 4. *ff. de manuvind.* Adeò ut uxorem habenti apud Romanos, concubinam habere non licuerit, *l.* 1. *de Concub.* & quod magis considerandum est, unicam tantùm, non plures, *Cujac. ad Nov.* 18. *c.* 5. *Nov.* 89. *cap.* 12. *ſ.* 5. Hoc & Christianorum jure firmatur, *Novell.* 18. *Capit. Franc. lib.* 7. *c.* 80. *Concil. Tolet.* 5. *c.* 17. *D.* 34. *c.* 2. De concubina tamen intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis, unita est, & conjugali effectu asciscitur; hanc conjugem facit affectus, concubinam verò lex nominat, *Palea ibi, & ibi gloss.* Aliter verò concubina, pellex appellatur. Pellicatus autem utroque jure prohibitus est, *conf. ll. Longob. l.* 2. *tit.* 13. *Cassiod. q. var.* 18.

VII. Iterum, inutiliter tamen, tentavit πολυγαμίαν, exhumare Valentinianus Imper. Christianus, qui Justinam ducere cupiens, legem tulit pro bigamia, si fides Socrati, *lib.* 4. *hist. c.* 27. quem Baronius impugnat anno 370. *Niceph. lib.* 11. *c.* 33. qui tamen de duabus Valentiniani uxoribus dicit, *Diac. lib.* 11. Pejoris exempli fuit Cabades Persarum Rex, qui pertæsus unius uxoris, cùm lascivo impetu raperetur in vagam libidinem, omnibus subditis uxorum communem gregem indulsit, *Cedren. in Zen.* Pudet hic meminisse legis Eveni III. Scotorum Regis, qui, ut ejus fœdissimam libidinem tueretur, cui vix satis centum concubinæ, ex nobilioribus matronis, virginibusque delectæ, sanxit, ut liceret singulis plures uxores pro opibus ducere, & Nobilibus plebejorum uxores communes essent: deni-

que, ut virginis nuptæ florem loci Dominus delibandi jus haberet, *H. Boeth. lib.* 3. *Buchan. lib.* 4. Sed hæc iniquitate periit, aut ætate. Quantùm distat hæc lex à Britannorum moribus, qui plures viri unam ducebant uxorem, *Bardesan. in lib. de Fat. & Ortel. in descript. Brit.* At si credimus Cæsari, *lib.* 5. *de Bell. Gall.* Britanni, Lacedæmones, *Xenoph. in Rep. Laced.* uxores habebant communes, maximè fratres cum fratribus, parentes cum liberis; nam, quòd una uxor simul nupserit multis viris, nulla unquam in regione usu invaluisse compertum est, *D. August. de Doct. Christ.* 3. *c.* 12. *Thom.* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 7. *Martyr. in c.* 8. *vers.* 31. *Jud c. Montec.* 2. *polit. c.* 4. *in princ. Schol.* Magis excusandæ Matronæ Lituaniæ, quibus fas erat concubinas maritis suis asciscere adjutrices, *Æna. Syl. c.* 26. *descript. Europ.* Brutales mores in naturam, & in civilis societatis harmoniam! Illa à maritorum numero abhorret, *Lact. lib.* 5. *de div. inst. c.* 21. hæc plura capita respuit *Concil. Col. de matr. e. quoad incipit*. Nec abhorruit etiam dulcis Lutheri genius, qui male se bigamiam, quàm divortium affirmat, imò, & ancillam advocare permittit, si qua causâ uxor sit parùm idonea, & vir in venerem turgeat, *Thig. de Divortio*; *quæst. ult.*

VIII. Tandem penitus profligata expiravit, in Ecclesia Dei fulmine Tridentino, *sess.* 24. *de matr. c.* 2. quo anathema dictum in illos, qui dicerent, licere Christianis plures simul habere uxores, *Matth.* 19. *si quis* 32. *q.* 7. *tot. tit. de despons. duor. c. gaudemus de divort.* Sicut antea dixerat Synodus Constantiensis *c.* 87. quod ex doctrina Christiana, *Matth.* 19. colligitur, *Arnisæ. d. c.* 4. *in fin.* ut etiam duæ Jacobi uxores, aut greges Concubinarum Salomonis, ad Christianos non pertineant, *Dionys. Gothofred. ubi s.* Hinc Carol. V. *Art.* 121. polygamiam capitali pœna affecit. At redeamus ad Judæos, quibus non satis fuit plurium uxorum libido, quia solùm satis non fuit *οἰκονομία*. Quare, ut antiquioribus uxoribus, ac ideò invisis se se expedirent, thalamos uxoricidiis polluebant, *Cornel. ad c.* 24. *Deut.* Parcere poterant viri uxorum sanguini, manusque servare innoxias, si jure Noachidarum, ut docent J. C. & Theologi Hebræorum, quibus assentitur Seldenus *de uxor. Hebr. lib.* 3. *c.* 2. & 26. fas illis fuisset repudio dimittere. Attamen non sine contradictore ex ipsismet Rabbinis processit dicta sententia, de Repudiatoria lege sic gloriantibus. *Dicit Dominus Israelis* כי שנא שלח, *Mal.* 2. 16. inquit Rabbi

Chan-

Chantaniach, per totum capitulum vocatur Dominus Exercituum, & hic Israelis, ut innotesceret, Deum nomen cum repudiis subscripsisse, solùm inter Israelitas, quasi dicat, Israelitis: concessi uxorum dimissiones, non Gentilibus. Hinc Rab. Chanch Rabbah nationibus non conceduntur repudia, *Hieros. in Kideschin f.* 583. Non ergo universo generi humano jure Noachidarum fas erat repudiis uti, solis Israelitis concessis. Nec opus fuisset Mosaica lege repudiatoria, ut dictum est, si jam in omnibus repudia habuissent; Christus verò, *Matth.* 19. Judæis non exprobasset licentiam repudiandi. Sed rem in claro ponit Hieronymus, *lib.* 1. *ad Jovin.* Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus vescebamur, nec dabatur repudium. Post diluvium autem cum datione legis carnes ingestæ sunt, & repudia concessa duritiæ. Hinc Moses divinus ille, ac primus legislator, institutorque illius regiminis, quod Flavius, *contra Apion.* vocat [illegible], ut prudens politicus, ac veluti coactus, legem tulit contrà Dei legem, *Epiph. lib.* 1. *t.* 2. *hæres.* 33. duroque populo occurrens repudium permisit, quod Marcus Evangel. cap. 10. *βιβλίον ἀποστασίου* dicit, quo excisum, aut abscissum, ut habet vox hebræa כריתות *beritut*, vi quadam morti æquivalenti, *Tertul. de monog. cap.* 9. periret conjugum unio, caroque à carne perpetuò abscinderetur, *Majorang. lib.* 2. *Missel. cap.* 15. *Si acceperit*, ait lex, *Deut. cap.* 24. *homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii*. In Pentateucho Samaritano ita se habet: cùm acceperit vir uxorem, & ingressus fuerit ad eam, & concubuerit cum ea &c. Huic consonans est Chaldæus, & Arabs Erpenianus, sed infra. Notat Licthoof. *ubi sup. ad Matth.* 5. *vers.* 31. æternum Numen sanxisse læthalem legem de adulterio morte mulctando in terrorem populi, atque in peccati illius detestationem. Verùm prævidens ipse misericors Deus, quàm duriter, ab hac lege ansa arrepta, cedere potuisse fœminis, ob virorum asperitatem in alias fœminas fortè anhelantium, & nauseantium uxores suas, lege illa leniente, contra uxoricidia istiusmodi mitiùs cavit, permisso in eadem causa repudio. Hoc ἀποστασίᾳ, ejectione solemni fiebat; scilicet porrecto libello à viro, coram judice, & testibus religione jusjurandi munito, reque perspecta, judex libellum repudii dabat, virque uxori mittebat, *Jo. Euch. hom. de divort.* Quod transacto ævo fiebat, recentioribus quoque temporibus accidit, ut videmus in Hebræorum Pandectis, *Moses Cossi in c.* כריתה idest, *abscissionis*,

B 2 sic

sic enim repudium vocant, ubi describitur actus legitimus repudii, ac libellus, quem Rabbi Iciel Ariminensis uxori dedit 3. Kal. Novembr. anno ab Orbis conditione XVIII. supra quinquies millesimum, idest, anno Christi 1240. Aliud quoque exemplum extat in Epitome Pandectarum Hebraicarum ab Juris consulto Maymone, in c. השא idest, foeminae descriptum. Sed nos his diebus aliquando ab Hebraeis videmus repudium usurpatum, *Rab. Leo Mod. de rit. Hebr. p. 4. c. 6.* Formulam libelli refert Manassen *ben Israel p. ult. tract. 2. c. 24. Repudiata es à me, ut nunc libera, & cuivis viro concessa*. Eandem ampliorem ab Hebraeis habitam tradunt Vatablus, Oleaster, & alii, *ad d. c. 24. Deut. Ego Rabbi &c. die prima mensis secundi anni 5296. à creatione Mundi hic, & in hac civitate ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiandi Rachel filiam R. &c. & dedi illi libellum repudii, in manu Schedam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocunque velit, & nemo possit illi prohibere, juxtà constitutionem Mosis, & Israel*. Melior censetur formula, quam tradit Andr. Osiund. *in Annot. in Harmon. Evang.* à lingua Chaldaica, cui jam indè à Babylonica captivitate Judaei assueverant translata, eamque asserit adeò scrupulosa diligentia observari, ut si unica litera omissa, aut repetita, aut cum alia confusa cernatur, instrumentum judicent invalidum, ac denuò praecipiant exarandum.

IX. His tamen formulis, si credamus Hebraeo Josepho, *Archaeol. 4. c. 6.* addebatur, quod sacrae legi consonum erat, *Promitto te ampliùs non accepturum*, quo sic mulier posset cuivis rursum nubere. Hac promissione utuntur Turcae, ac pro summo dedecore habent repudiatam reassumere, *Chalcocon. lib. 2.* Hoc fortasse ex sacra lege, *Deut. 24. 3.* didicerunt. Ibi enim vetitum repudiatam repetere, si secundò nupsisset, aut secunda inivisset sponsalia; tamen & si nec cum sponso coivisset, nec in thalamum fuisset deducta, *Gem. Babyl. ad tit. Jabimot. c. 1. f. 11. Maim. bib. Girushin. c. 11.* Quid si repudiata postea constuprata fuisset? Misum. Fas erat viro rursus eam accipere, *Joseph. Karo. Schulcan. Arrch. lib. Abenkezar. c. 10.* Hoc quoque Romanis invisum. Domitianus siquidem Romanum judicii honore privavit, quia uxorem, quam ut adulteram repudiaverat, in conjugalem thalamum recepisset, *Suet. in Domit.* Hic satis mirari non possum, quòd à Bodin. de Republ. *lib. 1. cap. 3.* nisi ei fuisset addictus, ejusque sacris initiatus, adeò Mosaica lex

ea lex de repudio extollatur, ut ea nulla fanctior esse possit; sive ad fœminarum superbiam, sive ad maritorum iracundiam coercendam. Verùm si prædicta lex dispensatio fuit, recensus fuit, à maritali lege, &, uti dicam, Numinis patientia, indulta ob duritiem cordis Israelitici populi in indissolubile conjugale fœdus, si Christus illam abrogavit, *Marci* 10. & *Luc.* 16. cur adhuc illam frigidis ratiunculis commendare, nihilque de Christi lege ad primævam originem maritalem nexum revocante loqui? At si adeo Bodino placuit lex de Repudio, cur in veteri fœdere per septingentos à lege lata, aut circiter annos Repudii mentio nullibi occurrit? Cur veluti coactus Moses indulsit? Cur solis Israelitis lege permissum repudium? Cur Davidi negaverunt sapientes repudium unius ex suis octodecim uxoribus, ei tamen concessere in concubinam Abisag, etiamsi aliàs illicitum esset cum innupta concumbere? *Rab. Schaman. Bar. ad* 6. *in Gem. Babyl. ad tit. Sanhedr. cap.* 2. Cur Christus Judæos repudiantes reprehendit? Cur magna Theologorum pars Judaicis repudiis criminis notam inurit, quam nec permissio adimit, *Tiraqu. de lege Connub. leg.* 7. *n.* 5. Vindex sibi quisque lege Mosaica, *Lev.* 9. Vindicta tamen, etsi permissa, non tamen fine peccato fuit, *c. cur in lege* 23. *q.* 4. & *ibi Archid.* Cur stante Republica Hebræorum, aut nullum repudii exemplum, aut rarò memoratum? Fatemur, morem fuisse Israelitis quotquot in militiam profecturis, non ante proficisci, quàm libello uxores dimitterent, *Zohar. lib.* 1. *cap.* 8. Verùm celebres Rabbini Salomon Jarchius, atque David Kimchius testatum reliquerunt, *ad* 2. *Sam. cap.* 12. libellum repudii, non aliter vim habuisse, quàm si in bello dimittens periret. Hinc nec laudata, nec in usu antiquitus fuere divortia, *Rabb. Elizzar. Gemar. Babyl. ad tit. Sanhedr. cap.* 2. *§.* 23. *Bensire Sent.* 3. *Thom. Bonav. Domin. à Sot. dist.* 33. *Bez. de repud. p.* 216. *Navar. lib.* 3. *de convers. Infid. cons.* 2. *n.* 18. Apud gentes repudia usurpata; sed apud illas sicuti cæteri contractus, ita & connubia, *Alex. ab Alex. di. gen. c.* 4. Apud Cretenses repudia, *Arist.* 2. *polit. c.* 8. eaque approbat Plato *dialog.* 11.

X. Eadem de repudiis lege usi sunt populi omnes Asiæ, & Africæ in venerem effusi, & quibus validior lex libido, ex atræ bilis copia, ut uxorum greges vix satis, *Herod. lib.* 2. & 3. *Just. lib.* 6. *Tertull. lib. ad uxor. Diod. lib.* 2. *Olear. lib.* 5. quæ ad insulæ Formosæ incolas pervenisse testatur Mandos. *lib.* 2. *itin. Ind.* Sine vero pretio comparant uxores, easque vendunt.

dunt. Eadem, seu meliùs, simili more delectantur Indi Occidentales, Provinciarum Michoacanensis, Nicaraguensis, & Mexicanæ, ubi & ante legem Christi in illis partibus, repudiorum causæ Sacerdotibus erant demandatæ, *Verac. 2. p. spec. conjug. art.* 5. Non dissimilia fuere solemnia circa divortia, quæ apud Romanos obtinebant, *Plut. in Prob.* 1. 3. Tribus modis apud eosdem uxores ducebantur usu, farre, & coemptione, *Boet. citat. à Bossin. antiq. Rom. lib. 5. c. 37. Serv. Dan. ex excerp. à Pytl.* Ab iis nec eorum Dii immunes. Uxores, inquit Arnobius, Dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis. Usu, farre, & coemptione geniali, lectuli Sacramenta conducunt, sacrasque nuptias vocabulo suo farretia dicunt, quia conjuges eodem farre vescebantur, *Dionys. Halic. lib.* 3. In his nihil religiosius confarreationis vinculo, *Plin. lib. 8. c.* 11. quod solis Pontificibus reservabatur, *Boet. ubi supra*, cum in eo fàr adhiberetur, quod sacrificiis aptissimum esse existimabatur, eoque sacra dicta conjugia appellabantur, *Halicar. lib. 2. antiq.* idest per solos Pontifices peragebatur, *Ravard. ad li. 12. Tabul. c.* 2. Solemnia ejusdem explicat Ulpianus, *tit.ix. inst.* Farre convenitur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus, ac solemni sacrificio facto, in quo etiam Panis farreus adhibebatur. Periit tamen hoc nuptiarum genus, ævo Taciti, vel inter paucos retentum, *idem annal.* 4. 16. Coemptio certo modo peragebatur; nam se se coemendo invicem interrogabant, vir ita, an sibi mulier, mater familias esse vellet; fœmina enim, hoc genere conjugii præter uxorem etiam mater familias vocabatur. Respondebat mulier, se velle, quæ virum interrogabat, vir esse vellet? Hæc forma conjugii etiam apud nos pervenit. Itaque mulier in manum viri conveniebat, & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem, ad quas allusit Virgilius eo Carmine

Terque sibi generum Tethis emant omnibus undis.

Cætera vide apud Platar. Rodigin. Badæ, Tiraquell. *de leg. Connub.* & alios. His tribus modis exceptis injustæ nuptiæ, seu quas sola consuetudo fecisset, & cum qua jus connubii leges non paterentur, *Cicer. in Trop. quem Ravard. lib. 4. ver. c. 16. interpetr.* Ita pariter tribus modis connubia dissolvebantur, usurpatione, diffarreatione, & remancipatione; *Ravard. in li. xii. Tab. comm. c.* 19. quorum solutio divortium dicebatur. Hoc unum excipiebat in his lex regia, quæ penes Lipsium VIII. est, relata per Calvin. post Lexic. *Uxor*, inquit

lex

lex *farreatione viro juncta in sacra, & bona ejus ne venito, jus divertendi ne esto*. Quare Dialis Flaminis, sive Sacerdotis Jovis nuptiæ morte dumtaxat dirimebantur, *Gell.* 10. 15. Quod si sacerdos maritus ab uxore divertisset, scilicet, per diffarreationem, ut observat Festus, coram Pontificibus, qui multa horrenda, monstruosa, & dira perpetrabant, obtinebat à sacerdotio, *P. Ærod. rer. jud. lib.* 4. *tit.* 17. *c.* 4. *ex Plut. Commen. lib.* 8. *c.* 7. *n. ult.* Primus omnium Domitianus veniam indulsit Flamini Diali nuptias dirimendi, *Plut. in quaest. Rom.* Diffarreatio genus erat sacrificii (ita lex. Pomp.) quod fiebat farre cibo adhibito. Cæterùm formulam divortiorum tradit Cajus, *lib. xii. de edict. Provinc.* eorumque vim paucis suo more perstringit Juvenalis *Satir.* 6.

Collige sarcinulas, clamat libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & sæpè emungeris, exi
Ocyus, & properat, sicco venit altera naso.

Adeò tunc facilè erat divortium, ut ex emunctione nasi oriretur causa divortii. Græci dicebant τὰ ΣΕΑΥΤΥΣ ΠΡΑΤΤΕ τὰ ΣΕΑΧΤΟΥ ΠΡΑΤΤΕ, item *γύναι πράττε τὰ σά; uxor res tuas age;* Ἄνερ πράττε τὰ σά: *vir res tuas age, Synopf. Basilic. lib.* 29. *Theod. Balsamon in c.* 48. *Apost. Matth. Monach. quaest. matr. tit. quib. ex ca. matr. solut. pen. Leuncl. Jus Græc. Rom. lib.* 8. *f.* 507. Septem testes ultrà libertum, sicut in signandis tabulis dotalibus, adhibebantur, ut ex verbis legis Juliæ de adulteriis licet conjicere: *Divortia septem civibus Romanis puberibus testibus adhibitis, libertum ejus, qui divortium faciet, post hac facmunto, aliter facta pro infectis habentur, Brisson. lib. sing. ad l. Jul. de adult.* Probatis itaque in privato amicorum concessu rationibus, jusjurandum Censoribus præstabant, legitimas fuisse divortii causas, *A. Gell. lib.* 17. *cap.* 21. Ab his non multùm absunt, quæ tradit Plat. *dialog.* 11. *de leg.*

XI. Hinc est, quod L. Antonium, qui nullo amicorum in consilium adhibito, neque justa causa uxorem repudiaverat, M. Valerius, A. & Cajus, Jun. Brut. Consules ob conjugalia sacra injuriosè tractata, à Senatu amoverunt, *Val. Max. lib.* 2. *c.* 1. *P.* 4. Qui enim bonus vir non est, vix bonus Senator, *P. Ærod. rer. jud. lib.* 2. *c.* 20. His peractis (actus siquidem repudii, ut dictum est non minus juridicus, quàm nuptiæ, quæ sicut scriptis tabulis firmabantur, ita fractis dissolvebantur, suas habebat solemnitates, citrà quas haud constare poterat) præsens uxor ædibus exturbabatur viri, & tunc dicebat vir re-

pudium,

pudium; *Tacit. ann. 3. 52.* absenti verò, per nuntium mittebatur, *Cic. in tropic. & Epist. 1. ad Attic.* Prædictum libellum non modo mariti, sed & patres impudicitia offensi mittebant, *Svet. in Tib. c. 10.* deinde in acta referebant, *idem in Calig. c. 36. Lips. in Tacit. ann. 5.* Hoc quoque solemne fuit Atheniensibus, ut fraudibus occurrerent, *Demost. in Onett.* Mosaica lex viris tantùm indulgebat repudium, uxoribus denegatum, & ob virorum duritiem, & ob fœminarum insitam inconstantiam, levitatemque, & perpetuam libidinem, *Joseph. lib. 15. c.* ubi dicit quòd Solome (quam Scalig. audacissimam, & primam repudiatricem vocat, & à qua mos repudiandi mulieribus advenit, *Grot. in Evang. f. 882.*) soror Herodis Regis, Antipatri filia, annis aliquot ante Christi natale, præter legem, maritum suum Costobarum Idumeæ, & Gazæ Præfectum repudiavit, *Lex*, inquit, *vostra solis viris jus repudiandi permittit, mulieribus autem ne dimissis fas est nubere, nisi prioris viri permissu*; Ita vertit Selenius. Sed hoc jus in uxores, vel consuetudine præter legem, vel viros usurpasse, jure negat Seldenus, *de uxor. Hebr. lib. 3. c. 19.* & planè inter instituta judaica, & ipsi Josepho inauditum. Sic habet Josephus, *d. l.* αὐτῷ γραμμάτιον ἀπολυόμενον τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς ἰουδαϊκοὺς νόμους. ἀνδρὶ γὰρ ἔξεστι τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ προτέρου ἀνδρὸς ἀφιέντος: *mittit illi libellum, & matrimonium dissolvit, non secundùm leges Judaicas. Marito siquidem apud hos hoc licet facere; neutiquam verò, quæ sponte abierit nubere NISI PRIUS A' MARITO DIMITTATUR.* Hoc expressim habetur alibi ex ipso Josepho, *Archæol. 4. c. 8.* ubi dicit licitum esse uxori alteri cuicunque nubere, soluto per libellum repudii matrimonio. *Sic habebit potestatem alteri copulari. Priùs enim alteri jungi fas non erat.* Affert quoque Seldenus exemplum Herodiadis, quæ maritum suum repudiaverat, *Joseph. Archæol. lib. 18. c. 17.* Hoc interdictum uxoribus viros repudiandi ab Hebræis ad Græcos pervenit, οὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν, *Eurip. in Med.* A' Græcis deinde ad Romanos derivavit. Lege Romulea vetitum uxoribus viros relinquere, *Plutarch. in Romul.* refertque Pandulfus Prateus, eamque aliis legibus regiis addit, allatis à Bauldino, ab eoque ex antiquissima tabula descriptis, *Rossin. d. l. 8. c. 5.* Verba legis: *Virum uxor ne deserito*. Repudiatis tamen uxoribus jus erat nubendi edito fœtu, si concepisset. Hinc damnatur Augustus, quod Liviam Drusillam ex altero viro abduxerit gravidam, *Alex. lib. 4. c. 8.* Jure siquidem Roma-

Romano, intrà annum luctus novas nuptias inire nefas, *l. 2. C. de sec. nupt. Harmenop.* 4. *t.* 6. licèt virum cujusmodi amiserit, quem lugere non teneretur, *l.* 11. *§.* 1. *ff. de his, qui not. inf.* ut excludatur commistio sanguinis. Ab his non dissentiunt antiqui canones, *c.* 2. 3. *q.* 7. licèt posteriores infamiam detrahant, *c. pen. & c. fin. uti Ponor. de secund. nupt.* Eadem ratio vetat, mulierem sive divortio, sive morte viri solutam intrà annum alias nuptias inire, *l. consensu C. de repud.* Et apud Hebræos, nec vidua, nec repudiata ritè ducenda erat, aut desponsanda ante xc. dies, *Misn. tit. Jabim. c.* 4. *Gemar. Babyl. ibid. f.* 41. *Maim. Hal. Girusinch c.* 11. sive à mariti morte, sive à libelli divortii scriptione; ut inde satis certum fiat, an gravida fuerit, nec ne, atque an semine prioris, posteriorisve mariti. Hujus incertitudinis intuitu Cæsar nuptias diremit Prætoris viri, qui digressam à viro, post biduum duxerat, *Suet. in Cæsar.* Non ita apud Athenienses, apud quos non solùm viro, sed & uxori fas erat matrimonium solvere, illum ἀποπομπῇ seù, *dimissione*, hanc ἀπολείψει, *seu derelictione*.

XII. Itaque viro tantùm divertere licebat, quin & Zelotypiæ illius mederi uxor cogebatur, exemplo vel fœdissimo, nec citrà horrorem, *Joseph. antiq. lib.* 3. *c.* 12. Hinc uxorum repudia viris data, vel moribus Gentium, inter quas morabantur, vel meliùs abusu, quo paulatim omnia quò magis ab origine recedunt, inficiuntur. Sacris etenim literis hoc non habetur, *Deut.* 24. *Mach. c.* 2. *Joseph. antiq.* 15. *c.* 9. Mulieribus verò eandem jam factam esse potestatem nullibi legitur, *Cal. Rod. lib.* 28. *antiq. lect. c.* 16. *Cujac. c.* 9. *de sponf. Albert. Gentil. de nupt. c.* 21. Ratio trahi potest ex reverentia, quam mulier debet viro, *l.* 1. *§.* 7. *de rei uxor. act. l.* 14. *§. ult. solut. matr. quem dos pet.* In jus enim vocari non potest sine venia, cui reverentia debetur, *l. generaliter de in jus vocan. c. episcopus* 12. *q.* 2. Nimis subtilis est illa ratio, quæ adulterum non facit virum, si ad innuptam accedit; scilicet quia thorus, ut domicilium soli viro adscribitur, *l. mulierem* 5. *de rit. nupt. l. cùm in te* 6. *C. de donat.* Aliter sentit D. August. *de bon. conjug. c.* 4. Non enim minùs solvit carnem à Deo conjunctam vir prolapsus ad scortum, quàm ad uxorem, mœchaturque qui eam separat, quoquo modo eam separat. Alia, & melior subrogatur ratio; quia viri, non fœminæ leges repudiarorias sanxere; nisi dicas, quòd nimis frequenter streperent fora ex accusationibus uxorum in viros, si levibus suspicatibus, ac

libidinosis mulieribus hoc jus esset. Recentiora tempora, magisque æquitati consona, quoad repudia, pares viris uxores fecere. A' Juliano facta fuit potestas mulieribus repudiandi, & à Theodosio, *l. consensus C. de repud.* Carolus V. mulieribus licentiam indulsit deferendi viros, *in constit. crim. c.* 20. Hoc quoque magis est ad mentem Sacri Codicis, & ad normam Canonum, quia vir, & uxor ad paria judicantur, *infrà*, ac adulterium in utroque sexu pari ratione damnatur, *c. christiana religio* 32. *q.* 5. Nec licet viro, quod mulieri non licet, *c. nemo* 32. *q.* 14. Apostolus, cùm dixisset uxorem non habere potestatem sui corporis, statim subdit, nec vir sui potestatem habet, 1. *Cor.* 7. Et Christus adulterium decrevit, quoties vir se separat à carne, cui Deus ipsum conglutinavit, *Matth.* 19. *Marc.* 10. Atqui tam solvit unionem hanc maritus, quando à fide conjugali abscedit, quàm quando mulier alienum admittit, *Scolast.* 4. *sent. dist.* 35. *Hieron. ad Occan. de Fabiol. August.* 2. *de adult. con. ad Pollent. c.* 8. Moses disertè ait, *Deut.* 52. *Lev.* 20. Si quis adulterium perpetraverit, morte moriatur, *Arrisa infrà cit.* Hinc pares Ecclesia in divortio facit, *caus.* 32. *quæst.* 7. Nihilominus Græci, *ad can. Apost.* 48. & Basilius *resp.* 9. viri scortantis uxorem discedere è marito, haud potuisse perpetuò observatum notant, idemque in Occidente in usu fuisse, *ex Concil. Eliber. cap.* 19. *Vid. Expos. B. Ambros. in Epist. B. Paul. c.* 23. *ibi uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam. Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat; quòd si se continere non potest, quia pugnare non vult contra carnem, suo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum Causa fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut illicita impellente lascivia, &c.*

XIII. Causam, de qua acris quæstio inter Sammæanos, & Hillelianos, requirebat divina lex, ad repudium, ne lascivientis mariti arbitrio, indissolubile vinculum, ac natura arctissimum ligamen, non sine etiam familiarum perturbatione, violaretur. Quarè præscribit sacer textus, pro causa dispensationis à lege maritali à Deo, lata uxoris fœditatem, *Deut. c.* 24. hebraicè ערוה *eruat*, idest nuditatem, quam legit Tertullianus, *lib.* 4. *contr. Marc. negotium impudicum*; indeque concludit, ob solam uxoris scortationem licitum fuisse Judæis repudium; ut Chaldaica, Græca, & Latina versio transtulit, & pro nuditate adulterium notat, *Gen. c.* 9. & *Lev.* 18. cui subscribit Burgensis, in

fis, *in cap.* 19. *Matth.* Nec abſque ratione, cùm etiam ſacræ literæ ſoleant nuditates vocare obſcuritates fornicationum, & ipſi Rabbini eodem vocabulo, ad ſignificandos inceſtus, utantur, fortaſſe quia mulierum nuditate, committuntur venerei fœdi actus. Hinc erraſſe videtur Toloſanus, *prælect. ad tit. de Sponſal. num.* 4. ubi docet, quòd libellus repudii non dabatur, ob adulterium. Moſes ſiquidem, primus legislator poſt annos ab Orbis initio bis mille quadringentos quinquaginta quatuor, *in Chron. Jo: Cor.* pro repudio, ſolam uxoris fœditatem præſcripſit, cujus nomine propriè venit impudicus actus. Non inficias eo, Origenem, Chryſoſtomum, alioſque Interpretes fœditatem, à ſacro textu, in uxore requiſitam, pro repudio, accepiſſe pro qualibet re pudenda; Ita ut Judæis licitum fuerit novum connubium, ſi uxor, aut lepra immunda fuiſſet, aut ſterilis, venefica, &c. quod vix credibile eſt, verba legis, indiſſolubilis nexus naturam à Deo decretam, legemque connubii animadvertenti; cùm nec vox *aliquam* multiplicet, ac diſtinguat cauſas repudii, ſed plures fœditates in ſe contineat, ejuſdem tamen generis impudici, *C. meretrices* 32. *quæſt.* 4. *Cornel. in Matth.* 5. *verſ.* 32. quas ſacer textus, proprio vocabulo exprimere abhorret. Hinc ἀσχημον πρᾶγμα, ideſt ערות דבר res turpis, ſeu turpitudo. Inde Rabbini, *ad Levit.* 18. 19. pro nomine æquivoco habent omnimoda vitia impudici negotii, *Seld. d. lib. c.* 3. & *lib.* 3. *c.* 23. uti Græci ἀσχημοσύνη, *inverecundia, dedecus*. Sola igitur fœditas, quam πορνεία, Chriſtus appellat, *Matth.* 5. & 19. per quam ultrà graviſſimam Injuriam, quæ alterius thoro infertur, quod à Deo factum eſt unum, in duo dividitur, *Clem. Ro. Apoſt. Conſt. lib.* 6. Nec inutilis cauſa repudii, ſola ſcortatio uxoris, eo quia ſi juſtificabatur facinus, divina lege, lapidatione, pœnarum ferè omnium acerbiſſima, diſtringebatur adultera, *Levit.* 20. 10. *Daniel.* 13. *Deut.* 24. Si autem juſtificatio adulterii deerat, aquis maledictionis, quas bibere cogebatur, ſuſpecta uxor prodebatur, *Num.* 5. 27. Utrumque etiam Philo, qui paulò ante Chriſti aſcenſum floruit, *de Special. leg.* comprobat. *Deprehenſis*, ait, *convictiſque lex præſentem pœnam* (ſcilicet lapidationis) *infligit*, *ſuſpectas autem committit naturæ judicio, non hominum, nempè aquarum maledictionis periculo*. Examini tamen aquarum (quod ſolùm Hieroſolymæ in Magno LXX. virorum Synedrio fieri poterat, *Maim. Halach. Sanhed. c.* 5. non ſubdebatur ſuſpecta uxor, niſi teſtes, præmonitionis, & occultationis adeſſent. Nec aquæ

ſuam exercebant vim, niſi maritus ab omni illicito concubitu purus fuiſſet; ipſeque peccaſſe dicebatur, quòd in cauſa eſſet, ut nomen *τετραγράμματον Tetragrammaton* incaſſum abſtergeretur, ſuper aquas. Eo verò caſu Zelotypa uxor, quam poſt ſolemnem præmonitionem ipſe viderat in ſecretum, cum eo, de quo præmonita fuerat, abiiſſe, ibique donec pollui poſſet, manſiſſe, nec tamen, ob dictum teſtium defectum, ad examen amararum Aquarum ducere quibat, ob ſceleris præſumptionem, erat dimittenda, *Gemar. Babyl. ad tit. Kidoſchim*, *Maim, Halac.*, *Isboth. c. 24. & Halach. Girashim. c. 51.* nec eam retinere ſinebat ex officio Forum. Hæc obtinuere donec apud Hebræos ſolemne fuit Aquarum periculum, ſcilicet uſque ad ſeculum, quod præceſſit excidio Templi, *Gemar. Babyl. ad tit. Sanhed. c. 5.* Tunc deſiit dictum examen, non quia multiplicata fuiſſent nimis adulteria, ut aſſerunt ipſi Rabbini, *Miſna tit. Sot. c. 9.* ſed quia Judaica Sacra perire neceſſe erat, veniente Chriſto. Nihilominus fœcunditas adulteriorum, in quacunque civili ſocietate, ejuſdem harmoniæ periculum præmonſtrat. Poſtquam autem in deſuetudinem abiit capitale amarum examen, ſeu aquarum amara potio inolevit, ut ubicunque ejuſmodi Zelotypia conſiſterat, uxor dote ſpoliata ſtatim dimitteretur. *Seld. d. l. 3. c. 15. Leo Mod. d. l. p. 4. c. 6.* Et adeò licenter proceſſu temporis Hebræi dimiſſionibus hujuſmodi utebantur in ſententiam Sammæi Patris, ſeu Secundi à Principe Synedrii, repudium indulgentis, ob turpitudinem uxoris, ut leviſſimæ cauſæ, vel *ψυχρᾶς αἰτίας* ſufficerent; cibus nempè nimis coctus, ſi palàm incederet uxor non velata, aut brachiis retectis, ſecundum Hillelem, Principem Synedri, natum non multò prius, quàm naſceretur Chriſtus, *Hiero. ad Iſai. cap.* 8. qui cxx. annos vidit, *Ben David in Cabal.* vel cùm formoſior uxor haberi poſſet, ſecundum Akibam celeberrimum, ſub Chriſti natalibus, qui eo ævo, Hillelianis cum Sammæanis diſſentientibus, nimis indulgenter Hillelianorum ſectæ adhæſit; vel quia ejus moribus vir non delectabatur, *Gemmar. Babylon. ad tit. Gittin. cap. 9. fol. 90.* Hac cauſa teſtatur Joſephus, ſe repudiaſſe uxorem *μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσι*, ex qua tres filios ſuſceperat, & aliam poſtea duxiſſe, vel *κατὰ αἰτίαν πᾶσαν*, *ob quamcumque cauſam*, ut Phariſæi loquuntur, *Matth. 19.* & teſtatur Philo, *lib. de ſpecialib. leg. 6. & 7.* quarum catalogum pertexit Johan. Gerſon. *in libr. de doctr. Jud.* non ex lege, & permiſſione Moſis, ſed ex falſa, & nimis licentioſa interpretatione.

tione. Et tandem ad repudium deventum, absque causa, etiam levissima, aut colore juxtà dispensationis naturam, ut habemus in allato exemplo à Maymone, ubi judex procuratoriis tabulis, quibus maritus coram tribus testibus uxorem repudiarat, subjicit hæc verba: *sive causa repudiatam esse*; facta utrique matrimonii cum aliis potestate contrahendi. Satis enim erat si forma, si ætas, si gustus, aliave res quæcunque levis uxoris marito displiceret, ut non inveniret gratiam in oculis ejus. Nam inter placita gentis receptissima habetur, ob causas saltem ejusmodi pro maritorum libitu uxores repudiari potuisse. *Rab. Leo Mod. l. cit.* Hinc est, quod Malachias *cap.* 2. 16. carpens eos, qui illecti pulchritudine alienigenarum repudiabant uxores hebræas, dicit: *Si odio habueris dimitte*, (vertit Rab. Hannanus, apud Ariam: *Deus odit eum, qui dimittit uxorem*.) *veruntamen iniquitas operiet vestimentum ejus*, idest corpus, quod est quasi vestimentum animæ. Quare sub Esdra, & Nehemia, & alienigenas uxores, & filios ex iis susceptos repudiarunt, 1. *Esdr.* 9. & 10. & 20. *Esdr.* 13. in Prophetæ præceptum, *Jerem.* 3. 1. & 6. *Uxorem adolescentiæ tuæ non deseres*. Prædictorum exemplum D. Joseph præbet, qui cùm Virginem sibi desponsatam, habentem in utero comperiisset, ignarus divini Mysterii, apud se decreverat, clam illam dimittere, *Matth.* 1. 19. in quam, præciso divino Mysterio, jure videbatur, potuisse agere. Lex siquidem desponsatos, sicuti conjugatos violatæ fidei reos, morti dabat, *Deut.* 22. 24. Dimissio verò, quam animo conceperat, erat Divortium, ei dando occultè libellum repudii, ut notat, *ad d. cap.* 1. Abulensis *quæst.* 39. Hocce haud fieri poterat, vel actione præreptæ virginitatis, vel adulterii cui pœna, vel lapidatio, si rea ex genere non sacerdotali erat, *Deut.* 24. vel vivicombustio si ex sacerdotibus oriebatur, *Lev.* 21. 9. *Joseph.* 4. *c.* 9. aut potione aquæ, ut diximus, *Num.* 5. quando ejus vitæ consulere decreverat, sed fucco adhibito, prout moris erat. Haud enim poterat Josephus δίκαιος ὢν *cùm esset justus*, juxta patrios mores honestè Mariam retinere, *Gemar. Babyl. ad tit. Kidosch. c.* 3. *f.* 66. *Ambros. ad Luc. lib.* 2. *cap.* 1.

XIV. Graviores primùm apud Romanos repudiorum causæ, sine quibus velut infame habitum divortium temerè factum, aut antequam amicorum consilia etiam, & sacrificia Deæ Viriplacæ, cujus fanum in Palatio erat, tamquam quotidianæ, & domesticæ pacis custodi, seriò adhiberentur, *Valer. Max. lib.* 2. *c.* 1.

c. 1. Vid. Jacob. Ræverd. in Com. de diverſ. reg. jur. leg. 48. Extat lex regia, quam Prateus in ordine xix. ponit: Verba legis: *Uxorem ſi in veneficio natorum, adulteriove deprehenſa, clamvè marito fuerit, repudiandi jus eſto. Qui præter has cauſas repudiavit, pars uxori dator, pars Cereri ſacra eſto.* Plutarcus addit, aut alienam pro ſua ſubdidiſſet. Sic enim vertit Guillelmus Xylander, & qui uxorem dimiſerit, is Diis Manibus rem ſacram faceret. Non ergo Decemviri primam in xii. Tabulis exararunt repudiatoriam legem, nec in eadem lege permiſſa, aut indulta repudia, ut videtur innuere Merula, *de leg. Rom. c.* 14. Ex his licet arguere, quàm inimicum fuerit Romanis divortium, qui illud non niſi ex graviſſimis cauſis permiſerint. Quamquam autem divortium lege conceſſum eſſet, nemo tamen ante annum DXX. illud, cum uxore feciſſe, perhibetur; quem annum DC. Urbis ſuputavit Stephanus Pighius, ſed antea Tertullianus, *lib. de Monog. & in Apolog. cap.* 6. Aulus verò Gell. anno ab Urbe condita DXXIII. *l.* 4. *cap.* 17. *& cap.* 51. Dionyſ. *cap.* 21. *&* 24. Hic S. Carvilius Ruga fuit M. Pomponio, & C. Papirio, vel ut aliis placet, M. Attilio, P. Valer. Coſ. qui uxori nuntium miſit, nova de cauſa, nempe quòd eam ſterilem eſſe diceret, ſeque liberorum quærendorum cauſa, uxorem habere curaſſet; *ex Dionyſii, Gellii, & Valerii Comment.* refert Sigonius, *de antiq. jur. Rom. lib.* 1. *cap.* 9. Attamen ob id populo inviſus fuit, & quamquam videretur tolerabili ratione motus, nec deeſſent antiqua exempla, *Plut. in Solon.* non caruit reprehenſione. Nam utcumque erat permiſſum divortium, nemo eo uſus erat antea, nulla repudium ſcripſerat Domus, atque cupiditatem ipſam liberorum fidei conjugali ſubmittere æquum eſſe arbitrabantur. Etenim intra quinquennium, non parientem, repudiare non licebat, *Quintil. declam.* 151. in quo Plato decennium exigebat, *P. Ærod. rer. Jud. lib.* 4. *tit.* 17. *c.* 4. Poſtea divortium adeò vulgare fuit, ut levi de cauſa viri ab uxoribus diſcederent, quod fortaſsè non contigiſſet, ſi apud Ro: lex Thuriorum viguiſſet; qua cavebatur, ut neutri cum juniore ſponſa, aut viro conjugium poſtea inire liceret, *Celius lib.* 28. *cap.* 6. *A. L.* Paulus namque Æmilius, cùm Papiriam dimitteret, mirantibus amicis, & cauſam quærentibus, erat enim non tam pulchra, quàm fœcunda, nullam cauſam attulit, ſed tantùm ſe ab ea læſum ſignificavit, *Plut. in Æmil.* Pudicitiæ verò vitium, magnam attuliſſe cauſam, C.Cæſaris, qui poſteà dictator fuit, exemplo

emplo confirmari poteſt, qui Pompejæ nuntium remiſit, quam Cladius adamabat; cùm diceret, Cæſaris uxorem, non modò peccato, ſed peccati etiam ſuſpicione vacare debere. Erat autem ſuſpicio, ne ei P. Clodius ſtuprum intuliſſet, qui mullebri veſte domi Cæſaris, tum Pontificis Maximi, cùm ſacra Bonæ Deæ (quibus intereſſe viris nefas, *ex Ovid. lib. 5. Faſt. de art. am. & ex Tibul. lib. 1. Eleg. 6. ſacra Bonæ maribus non adeunda Deæ*) pro populo fierent, fuerat deprehenſus, atque ancillarum manu eductus, *ex Dionyſio, aliiſque Sigon. ubi ſup.* C. Sulpitius Gallus divortium, cum uxore fecit, quòd eam capite nudo foris, converſatam comperiſſet, ut potiùs caveret injuriam, quàm vindicaret. Idem fecit P. Sempronius Sophus. Hanc cauſam divortii approbavit Juſtinianus Imp. *infrà*. Lucullus ob ſuſpicionem impudicitiæ abdicavit Clodiam, *Plut. in Lucull.* Sylla ob prætenſam ſterilitatem, *Plut. in Syll.* & Q. Antiſtius divortium uxori remiſit, quòd cum libertina quadam vulgari ſecretos ludos ſpectaſſet, ſe ignorante, *Plutar. in comparat. Romul. & Theſ. & in Problem. Ro: Valer. Max. lib. 3.* Invento namque peſſimo exemplo omnia peſſumdata, neque ullus modus divortiorum habitus, donec Auguſtus, cùm ſentiret Matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi, præfixerit, *Dio. lib. 54. Suet. in Auguſt. cap. 34.* Fuit autem lex Julia de marit. ordin. ſi fides adhibenda Ulpiano, *leg. viro 5. cùm mulier, ff. ſolut. matr. l. 9. ff. de divort.* Parùm nihilominus lex Auguſti, & Senecæ teſtimonio, *de benef. lib. 3. cap. 16.* profuit: *Numquid iam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam, ac nobiles fœminæ non Conſulum numero, ſed maritorum, annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubunt repudii? Tamdiu iſtud timebatur, quamdiu rarum erat.* Ipſe namque Auguſtus Scribonlam dimiſit, quia pertæſus eſſet morum ejus perverſitatem; & Claudiam, quia ſibi, & ſocrui Fulviæ per omnia non conveniret, *Suet. in Auguſt. cap. 62.* Claudius Æmiliæ Lepidæ Sponſæ virio vertit offenſiunculas paternas, quas objecit, & Plantiæ Virgunellinæ uxori, *Suet. in Claud. c. 26.* Nero Octaviam, quia ejus converſatione non delectabatur, repudiavit, *idem in Neron.* Ita & Caligula, *idem in Calig.* Adeò ut, ſicut apud Hebræos, ita apud Romanos nihil facilius, quàm diſrumpere hoc ſacrum indiſſolubile vinculum, uxoreſque dimittebantur utilitatis trutina. Uxor, inquit Quintillianus, *diſc. 2.* quam jungit, quam deducit utilitas. Vel ſi mores non placerent,

Uxor

Uxor vade foras, vel moribus utere nostris.

Martial. *lib.* 11. *Epig.* 104. vel si mores non displicerent.

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet:
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi.

Juvenal. Satyr. 6. Ita, ut si mores Romanorum hac in re cum moribus Hebræorum conferas, vix distabunt repudia, & divortia origine, & caussis. Has quoque refert Asterius, *de repud.* *μίσους ἄξιον τὸ ἦθος τῆς γυναικὸς, καὶ ἡ γλῶσσα προπετὴς καὶ ὁ τρόπος οὐκ οἰκουρὸς, καὶ ἀνόσιος καὶ τολμηρὸς ἡ διαίτησις, mulieris ingenium odio habitum, præceps lingua, quòd domi se non contineret, quòd ad rem familiarem minus esset attenta.* Turcæ quoque sua repudia amant, queis libidines solemnes redduntur. Sic statuit salacissimus legislator Mahumetus, *Alcor. Sur.* 2. *Vacca vers.* 229. *Repudium duabus vicibus conceditur: deinde vel retinendæ sunt uxores, & justè cum eis agendum: vel dimittendæ humaniter, ac beneficè. Quòd si quis tertiò repudiet uxorem; non licebit ei alteram accipere, nisi nubat alteri viro, qui si eam repudiet, poterit primus vir illam sine piaculo recipere; dummodò existiment, se servare posse leges à Deo præscriptas conjugatis, quas ipse manifestabit hominibus doctis.* Hoc idem statuit in Sponsis, *d. l. vers.* 237.

XV. Causas, quibus eis id permissum, refert Aug. Busbeq. *Epist.* 3. si Mariti debitis eas alimentis fraudent, sique præter naturæ præscriptum (quod nefas Turcis familiare) eis abuti conentur. Sed & aliis modis apud Ro: connubia præjudicabantur, quorum aliqua christianorum matrimoniorum sanctitatem infecere. Deportatione solvebantur nuptiæ, Romanorum jure, non Gentium, *leg. si quis stipuletur, ff. solut. matr.* quam sustulit Imper. Alex. ni casus, in quem incidit vir, mutaverit affectionem uxoris, *leg.* 1. *C. de repud.* & penitus abolevit Justinian. *auth. de nupt.* §. *Deportatio*. Captivitate, *leg.* 1. *ff. de divort. cum concord.* Hanc respuit Justinianus, vivente viro, & si uxor incerta sit vitæ viri; additum quinquennium, ut certa sit; aut certa mortis conjugis præsumatur; eo verò elapso, novum datur uxori inire connubium, *Novell.* 22. *col.* 7. quam restrinxit Leo, *Novell.* 33. ad terminos, *Novell.* 117. *f. Cæter.* Si veneri impotens vir, cùm uxore inutiliter biennium insumpsisset, irritum conjugium, *leg.* 10. *C. de repud.* Tempus tamen amplificatum à Justiniano ad triennium, *Novell.* 22. *c.*

6. &

6. & auth. quod hodie c. 3. de frigid. Petrus Ærodius. d. tr. lib. 8. tit. 17. c. 5. vix meminit legisse, hoc nomine divertisse ullam aliquando, satisvè eam uxori justam causam repudii fuisse ante Justiniani Imp. tempora. Fuit tamen Solonis lex divortium indulgens ob viri impotentiam, *Plut. in Solon.* Hæc causa divortii apud Ecclesiam vires accepit seculo XI. *Decret. tit. de frigid. & malef.* dumtaxat, tamen si præcessisset conjugio, *c. 1. c. requisivisti 33. q. 1. c. 1. cum eat. de frigid. &c.* Non enim videtur nupta, quæ virum non habet, *l. pen. quam dies leg. ced. c. fraternit. d. rubr.* Sanè disquisitio virilitatis, quæ in his negotiis haberi necesse est, tam fœda est, ut etiam solius turpitudinis evitandæ causa, meliùs esset hujusmodi judicia non admitti. Magis pudori consonat Lucii III. rescriptum, *c. consultationi de frigid. &c.* quo tanquam sorores decernitur habendæ, quæ, ob virilis veneris injuriam, uti uxores haud haberi possunt; cùm etiam disquisitio plerunque fallax redderetur. Hinc damnata per Parlamentum Parisiense, sub die 18. Febr. 1677. *refert Nicol. Venet. Tabl. de l. amour. p. 4. c. 1. art. 2.* Celebris, & peregrina, respectu Judicis fuit, & est causa nullitatis matrimonii, seu divortii matrimonii, ut verbis sententiæ utamur, inter Margaritham Ducissam Karinthiæ, & Tyrolis Comitissam uxorem, & inter Joannem Regis Bohemiæ filium virum, intentati per ipsam Ducissam coram Imp. Ludovico IV. ex capite impotentiæ viri ad carnalem copulam; quam sententiam fas sit hìc transcribere.

Nos LUDOVICUS QUARTUS Dei grat. Rom. Imp. Aug. pro tribunali sedentes in causa, seu lite, seu separationis inter illustres personas Joannem Regis Bohemiæ filium requisitum parte ex una, & Margaritham Ducissam Karinthiæ, & Tyrolis Comitissam ex altera parte, tanquam actricem, & requirentem à dicto Joanne, jam vocato conjuge suo, de matrimonio separari. Visis, & intellectis tam per nos, quàm per præfatos Doctores juribus, rationibus, probationibus, & testimoniis Margarithæ præfatæ, nec non contumacia jam dicti Joannis &c. dicimus, & decernimus, præfatam Margaritham separari debere à sæpedicto Joanne atque è converso, cùm eisdem, vel ipsorum alteri videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretham hoc requirentem instanter, ut supra, separamus, absolvimus, & separatam esse judicamus in Matrimonio jam à dicto Joanne per hanc nostram sententiam diffinitivam. Simili quoque modo supradictum Joannem à præfata Margaritha in matrimonio per autoritatem, & hanc nostram

sententiam diffinitivam separantes, *ita videlicet*, *quòd de cætero præfatus Joannes supradicta Margaritha in nullo matrimonii debito teneatur* : *neque similiter præfata Margaritha supradicto Joanni*; *sed liberum sit utrique de corpore proprio*, *sive persona*, *&* *omnibus bonis propriis*, *juribus*, *ac rebus*, *tam mobilibus*, *quàm immobilibus facere*, *vel disponere*, *&* *quodlibet ordinare pro suæ propria libito voluntatis* .... Deest dies, & epoca, & annus Imperii, *vid. Goldast. Constitut. Imp.* 12. *f.* 88.

XVI. Quo autem jure laicus, & si Imperator, super fœdere conjugii hujusmodi tulerit sententiam, docent Marsilius *defens. pac.* & Ockam, *de causis matrim. vide infrà.* Etiam bona gratia matrimonia dissolvebantur, *Auth. de nupt. c.* 2. Tertullianus, *lib. de Monog.* nam dixit amica separatione viduationem; ea ratione, ut quidquid ligatur solvibile sit, τὸ δεθὲν ἅπαν λυτὸν *Phot. Nomoc. tit.* 13. *c.* 4. Aliquando hac in re requisita fuit causa, jure scilicet veteri, *l.* 60. 61. 62. *ff. de donat. int. vir, & uxor. Gentil. citan. lib.* 3. *c.* 18. Aliquando sine causa fiebat, *Justini. Novell.* 22. Sed tandem Bonam Gratiam respuere divortia, apud Græcos, dumtaxat duobus in casibus retentam, *Attaliat. Synops. c.* 26. ὅταν ἀσκητικὸν ἕληται θάτερον τῶν μερῶν, ἢ ὅταν ὁ ἀνὴρ ἐπὶ τρισὶν ἔτεσι τὰ παρὰ τῆς φύσεως δεδομένα τοῖς ἀνθρώποις οὐ πράττει *cùm pars alterutra vitam elegeris asceticam*, *seu monasticam*, *vel cùm maritus toto triennio non facit ea*, *quæ viris natura dedit*. Hanc ἀπραξίαν τῆς κοίτης, *lecti cessationem* illam τὴν κουρὰν *tonsuram* appellant, à quibus Latini non dissentiunt. Ita sterilitas uxoris nullum reddebat connubium, *l. vitricus*, *§*.1. *ff. de donat. int. vir. & uxor. Plut. in Solon.* quam sustulit Justin. Imper. *Novell.* 117. Jure quidem, quia, ut ait Augustinus *de bon. conju. c.* 7. tantum valere vinculum sociale, ut licèt causa procreandi colligetur, tamen ob ejus defectum nequeat separari: cessante enim primo fine, adhuc durat alter, videlicet, ut uxor sit adjutorium viro, *c. si uxor* 32. 9. 6. Nec Abraham dimisit Saram quamvis sterilem, *Gen. c.* 16. nec Zacharias Elisabetham, *Luc. c.* 1. nec Helckana Annam 1. *Sam. c.* 1.

XVII. Verùm etsi legibus Romanorum permissa divortia, iisque causæ decretæ etiam frigidæ, & quamvis etiam sine causa nuptiæ dissolverentur, diverterentque viri ab uxoribus, non legi tamen divortium fuisse concessum, aut usurpatum, si uxor bibula fuisset. Statuit Romulus *leg.* 15. quòd si uxor vinum bibisset, ut adultera puniretur. Hanc legem explicat Dionysius

nyſius *lib.* 11. De hujuſmodi criminibus inquit (ſcilicet de adulterio, veneficio, & potione vini) cognati cum marito læſo cognoſcebant, in quibus erat violata pudicitia, & quod apud Græcos videretur leviſſimum, ſi deprehenſa eſſet vinum bibiſſe mulier. Nam utrumque damnavit Romulus, ut erratorum muliebrium maximum, ratus è ſtupro naſci inſolentiam, ſtuprum ex vinolentia; longoque tempore, utrumque apud Romanos iram merebatur implacabilem, comprobantibus legis æquitatem tot ſeculis, *Agell. lib. x. c.* 23. *Valer. Max. lib.* 11. *c.* 1. *Athen. in Dipnoſoph. ex Polyb. Merul. de leg. Jo: c.* 4. Ratio eſt, quia vini potatio, utpotè capitalis, locum divortio non relinquebat. Iiſdem cauſis, quæ Judæis, & Romanis pro repudiis ſolemnes erant, antiquitus uſos fuiſſe novi orbis incolas compertum eſt. Siquidem conjuges Provinciæ Michoacanenſis, ſe invicem repudiabant; ſi uxor non adamabat virum, aut non coquebat cibum, aut non texebat veſtem. Sic uxor repudiabat virum, ſi vir nimium illam corrigebat, aut verberabat. Hoc idem fermè erat apud Mexicanos, excepta ſolemnitate judicii, à quo ſententia divortii pendebat. Et in Provincia de Nicaragua, ob ſolum Adulterium, concedebatur repudium, *Verac. ubi ſ.* Fœdius Michoacanenſibus, & Mexicanis, apud Abyſſinos, qui uxores habebant menſtruas, vel annuas, *Goeſ. in Æthiop.* quem morem Ammianus Marcellinus, *lib.* 14. Saracenis tribuit, qui uxores precarias habebant, vel ad tempus mercede conductas. Ita Æthiopibus Chriſtianis pro libitu facta fuiſſe traditur *en cite*, inquit Ludovicus Urvetenſis, *lib.* 2. *de la hiſt. de la Ethiop. cap.* 10. *Sacramento tenian un error introduzido de tiempos antiguos, y en que avia repudio de parte de entrambos. El paran podier repudiar à la muger, y ella al marido; y el ſe caſava con otra, y ella con otro. Gozavan de eſta ley los ſeghares, que los clerigos caſados no podian repudiar à ſus mogeres.* Hos mores in Repudiis non ſolùm à Judæis, & Græcis, à quibus, & leges mutuati ſunt, ſed etiam à Gentibus didiciſſe Romanos cenſendum eſt. Aſſuerus ſiquidem, ſeu Artaxerſes Perſarum Rex, Vaſtim Reginam, quam ex corde adamabat, repudiavit, ex eo, quòd accerſita à Rege comparere noluerat, & Eſtherem Judæam ſuper induxit, *Eſter.* 1. *& Joſeph. l.* 11. *c.* 6. ſeptem Magorum, Patriciorumque conſilio adhibito, penes quos erat omnis poteſtas legum interpretandarum. Hinc documentum uxoribus maritos cujuſcunque dignitatis in honore habere, imperiumque domi, non mulierum, ſed maritorum, ac uxoribus

sufficere obsequii gloriam, *P. Ærod. d. l. c. 2.* Berenice Polemonem Lyciæ Regem maritum suum repudiavit, ob immodicam ipsius venerem. Rarum, & malè olens exemplum, *Joseph. lib. 2. c. 9.* Ariston Rex Spartiarum, propter infœcunditatem, uxorem repudiavit, superinducta uxore Ageti, ex qua septimo mense Demaratum genuit, *Herod. l. 6.* Pericles repudiata uxore, ex qua liberos susceperat, Xanthippum, & Paralum, alterique locata, Aspasiam meretricem nobilem, in uxorem duxit, *Plutar.* Hercules, Megaram Thebanam uxorem, postquam iis, quos ex ea susceperat filiis orbatus, ratus non satis faustis conjunctam auspiciis, dimisit, *Pauf. in Pho.* & Philippus Macedo repudiata, ob stupri consuetudinem, Olympia, Cleopatram Attali sororem in uxorem duxit, *Justin.* Sed à quibus Indi Occidentales hujusmodi mores habuerint, fortasse à libidine, qua maximè agitantur, consule Solorzanum *de jure Indiar. lib. 1. cap. 9.* Unde autem evenit, ut Christiani, adeò liberè repudiis uterentur? Certè dicendum est, ipsos censuisse divertendi jus Christianæ doctrinæ, haud dissonum fuisse, & potiùs retinendum Noachidarum hac in re jus, *Seld. de uxor. Ebrai. lib. 3. c. 26.*

XVIII. His moribus, ritibusque imbutus orbis: hujusmodi erant Judaici populi, Gentiumque connubia, quæ meliùs dixeris, fœdas, vixque larvatas scortationes, resistentibus naturæ Mosis, Romulique legibus, quando Christus, si licet homini dimittere uxorem κατὰ αἰτίαν πᾶσαν *ob quamcumque causam Matth. 19.* respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit propter hoc, dimittet homo patrem, & matrem, &* προσκολληθήσεται, *agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque, non sunt duo, sed una caro; quod Deus conjunxit, homo non separet*, ὃ ὁ Θεὸς συνέζευξεν ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. Poterat indissolubilis connubii vis majori energia proclamari? Objiciunt tamen Pharisæi: *Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* At Christus: *Quoniam Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit uxorem* εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

XIX. Hinc clarus videtur sensus à contrario, cujus vis semper in jure valida existimata fuit, *leg. 1. ff. de offic. ejus, cap. qualis 25. dist. cap. Apostol. de iis, quæ fiunt à Prælat.* fas esse, ex scortatione, seu adulterio conjugis, innocenti conjugi uxorem dimittere, novasque nuptias inire. Ex hac responsione Christi, quod

quod ſuprà firmavimus, demonſtratur, cauſam juſti, ſeu permiſſi repudii, pro fœditate à ſacro textu, & ab Hebræis, pro nuditate uſurpatam, non aliud vitium fuiſſe, non animi, non corporis, quàm ſcortatio, & infrà magis habebitur. Phariſæi ſiquidem opponunt indiſſolubilitati matrimonii libellum repudii à Moſe permiſſum, ex fœditate conjugis, *Deut.* 24. Chriſtus reſpondit: *Vobis non licet dimittere uxorem, niſi ob ſcortationem.* Itaque πορνεία *ſcortatio*, ſeu adulterium, ſola cauſa repudii, fœditas ſcilicet illa, de qua Moſes loquutus eſt, *d. cap.* 24. Quare Tertulliani lectio, ſeu interpretatio ſupra allata, præ cæteris habenda. Neque enim nomine fornicationis, ſeu ſcortationis hìc accipi poteſt omne peccatum, ut voluit D. Auguſtinus, *lib. de Serm. Dei in monte.* Fatemur, quòd πορνεία non ſolùm eſt illud peccatum, quod in corpore conjugis comittitur, ſcortatio, & adulterium, ſed quodvis aliud flagitium, ac præſertim illud ſcelus, quod in Divinum numen perpetratur, *Greg. Nazian. Grat.* 31. ὐ περὶ σῶμα μόνον ἁμαρτία πορνεία, καὶ μοιχεία λέγεται, ἀλλὰ καὶ ὁτιοῦν ἥμαρτες, καὶ μάλιστα ἡ περὶ τὸ θεῖον παρανομία Idem dixit Aretas, *in cap.* 15. *Apocal.* πορνεία ἐνὶ αἰσχρὰ συμπλοκὴ τῆς σωμάτων μόνον νοεῖσαι, ἀλλὰ καὶ πᾶσα θεῦ ἔκκλυσις.

XX. Verùm hoc dicitur metaphoricè. At hæreſis, vel infidelitas non diſcindit vinculum, quemadmodum adulterium carnem à carne dividit, nec Reformati illam pro cauſa repudii admittunt, *Armiſæ. d. c.* 6. *n.* 10. Cæterum πορνεία, ut explicat Theophylatus, *in c.* 5. *Matth.* eſt ſcortatio cum ſoluta πορνεία ἡ εἰς ἀπολελυμένην, quæ comittitur, quando conjux cum ſoluta delinquit, & ibi Chriſtus omnem ſimpliciter fœditatem, ſcortationis nomine complexus eſt, ut dicit Theophylatus πᾶσαν ἁπλῶς τὴν ἀκαθαρσίαν τῷ τῆς πορνείας ὀνόματι περιέλαβεν, & ita explicat vocem πορνείαν Gregor. Nyſſen. *Canon. tom.* 2. *& ibi* Balſamon, & Macarius, *Homil. xxvi.* Inſuper Clemens Alexandr. *Stromat. lib.* 3. *p.* 464. πορνείαν vocat ab uno matrimonio ad plura prolapſionem πορνείαν ἐκ τῦ ἑνὸς γάμυ πολλὺς ἐκπτῶσιν, quæ propriè dicitur de dimittente conjugem, & aliam ducente, ut Chriſtus dicit: *qui dimiſerit, & aliam duxerit*. In hoc ſenſu accepit πορνείαν Joſephus, *lib.* 2. *contr. Apion.* & ita uſurpatur apud Æthiopes, & Reformatos, *Seld. d. l.* 3. *c.* 26. 27. & leges civiles accepere, *l. ſtuprum ad l. Jul. de adult. l. fugitivus* 23. *de V. S. l.* 22. 29. 33. *C. ad l. Jul. de adult.* Explicat Origenes in terminis vocem παρεκτὸς *Homil. in Matth.* 7. *Forſitan audax inquit aliquis, & judaicus vir adverſus doctrinæ Salvatoris noſtri di-*

ſtri dicet, quoniam, *& Jeſus dicens : quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa Fornicationis, facit eam mœchari*, *permiſit uxorem dimittere*, *quemadmodum Moyſes*, *quem retulit*, *propter duritiem cordis Judæorum, hoc præcepiſſe? Et hanc ipſam, inquiet, eſſe cauſam fornicationis, per quam juſtè uxor à viro dimittitur, ſecundum quam, & Moyſes præcepit dimittere uxorem, ſi inventa fuerit res turpis in ea?* Item Tertull. *ad Marc. c. lib. 4. cap. 34. & lib. de pudicit. cap. 6.* λόγυ μοιχείας πορνείας reddit: præter cauſam adulterii, & præter cauſam mœchiæ. Ulterius ſi πορνείας nomine venire peccatum quodcumque aſſeramus, blandimur tentationi Phariſæorum, qui ex quacunque cauſa petebant mitti poſſe repudium. Quarè hæc expoſitio nimis liberalis, & laxa eſt, eamque D. Auguſtinus retractavit, *lib. 1. retract. cap. 19.* & paſſim priſci, & recentiores interpretes hic πορνείαν vertunt fornicationem, quæ in conjugata eſt mœchia, *Cornel. in Matth. 5. verſ. 32.*

XXI. Revera, ſi pro obtinenda diſpenſatione à maritali indiſſolubili lege, poſſet dari aliqua cauſa, debuerat eſſe conjugis πορνεία, quæ eſt adulterium, ſatis antiquum illud crimen ævo Jared ortum, *Epiph. cont. hæreſes lib. 1. tom. 2. f. m. 2.* & de quo cecinit Juvenal. *ſatyr. 6.*

Antiquum, & vetus eſt alienum Poſthume lectum
Concutere, atque ſacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas;
Viderunt primos argentea ſecula mœchos.

Tranſitus ſcilicet ad alterius thorum, *Calvin. Lexic. jur. verb. adulterium*. Adulter ſiquidem carnem à carne dividit, *D. Hieron. in Matth. 9.* & quod à Deo per nexum conjugalem factum eſt ex duobus unum, in duo per adulterium dividitur, *Clem. Ro. Apoſt. Conſt. lib. 6.* carneque à carne, per adulterium diviſa, ſeu, ut phraſi hebræa utar, exciſa, tertio intercedente, perit unio, qua carnes conjugum uniebantur, ſcilicet ſacer maritalis nexus. Hoc quoque confirmatur, ex gravitate πορνείας. Vetitum ſiquidem omni jure adulterium, *Cic. lib. 2. de leg.* & quamvis tantùm lex Moſis expreſsè illud interdixit, *Ambroſ. de Patriarch.* natura in hominum cordibus, exarata lege, illud antea prohibuerat, *gloſ. in verb. interdictum c. dixit Sara 32. quæſt. 4.* ac uti res probroſa, & inviſa Deo, ſecundum locum, inter cætera peccata obtinet, *Philo de decalog. f. m. 479.* Diciturque adulter ſacrilegus, *leg. 4. quor. appellat. C. Theod.* & crimen ad inſtar ſacrilegii, *cap. 99. ſex. ſynod. ubi Balſamon, &*

Capitular.

Capitular. lib. 1. *cap. ult.* Bruta ipsa adulterium aversantur, si credimus Plinio, ut Elephantes, *lib.* 8. *c.* 5. Solino, *c.* 38. & Ciconiæ Æliano, *lib.* 1. *&* 5. *histor. animal.* ac Cassiodoro, *var. Epist.* 33. ut Turtures. In hoc jura omnium Gentium ferro vindice, vel ipsis elementis armantur. Judæi lege divina lapidibus obruebant adulteram, *Gen.* 20. *Deut.* 22. *Ezech.* 16. *Jo.* 10. Non tamen, uti diximus, idem genus pœnæ cuilibet adulteræ. Filia siquidem sacerdotis adultera, sive nupta, sive desponsata comburenda erat, *Levit.* 21. *Joseph. lib.* 4. *c.* 9. *Misn. tit. Sanhed. c.* 9. adulter verò strangulandus, *d. tit.* c. 10. Uxor autem adultera stirpis non sacerdotalis, lapidationis pœna puniebatur, *d. Misn. c.* 7. *Maim. Halach. Jurib. c.* 1. Ægyptii, Arabes, Parthi, omnesque nationes, vel morte, vel exquisitis pœnis adulterii scelus puniebant, *Joan. Boem. de morib. Gent. Tiraquel. de leg. connub. lib.* 13. *glos.* 1. *num.* 6. *P. Ærod. Demost. Selden. & alii, Sed vid. Arnisæ. d. c.* 5. Cui mortalium, ait Philo, *de Joseph f. m.* 343. non cæde vindicandum videtur? nam de cæteris dissentire soliti, in hanc solam conspirant sententiam, ita ut omnes ubique rem capitalem pronuntient.

XXII. Romani antiquitus lege Romulea in adulteras animadvertebant, citra pœnam sanguinis, *Cujac. obser.* 6. *c.* 25. Plerumque relegatione, vel deportatione, cum publicatione tertiæ partis bonorum, & dimidio dotis, *August. de civit. Dei lib.* 3. *c.* 5. *Tacit. ann.* 2. quibus resistit Bodinus, *meth. Histor. c.* 4. *& de Rep. lib.* 1. c. 3. *&* 4. *Vide Tiraquel. in l.* 13. *connub. glos.* 1. *Pancirol. Thesaur. var. lect. lib.* 3. *c.* 27. *& alii.* Ab Augusto annis amplius DCC. post legem Romuleam aliquando adulteræ morte punitæ, uti postea ab Opilio Macrino, qui adulterii reos semper vivos incendit, junctis corporibus, *Jul. Capitol.* sed libero dominantium jussu, non lege, temporibus Diocletiani, & Constantini, pœna sanguinis irrogari cœpit, *l.* 18. *C. de transact. & l.* 3. *C. de adult. lat. ann.* 326. Et adeò exarsit publica vindicta in sacrilegos nuptiarum, in sacri scilicet fœderis conjugalis violatores, *Gothofr. ad C. mox citan.* ut tanquam infestos patricidas insuere culeo vivos, vel exurere decreverit, etiam appellatione remota, *l.* 4. *quor. appell. C. T.* Quinimò leges marito deprehensum adulterum sine judicio impune perimere indulsere, quæ licentia nec in patricidio est: quia non legi, non homini, sed ipsi Deo violato matrimonio, injuria fit. Tandem Theodora Justiniani Augusti uxor, quæ fasces imperii marito ademerat, cùm omnia beneficia fœminis, adversus maritos tribueret, vel

quia

quia fœmina ; vel quia magis antiquis moribus delectaretur ; capitali pœna adulteras exemit, *Novell.* 134. Hinc fortè nimiæ indulgentiæ initium in adulteria , quæ totum infecit orbem . Leo, & Majoranus antiquæ pœnæ deportationis, & relegationis adulterorum fecere , *Novell. Majo.* & recentioribus temporibus apud Græcos mitior pœna à marito , & à patre infligenda : *Adulteris verberatis, & tonsis nares abscinduntur* , *synops. Attal. tit.* 70. Nonnulli verò , etiam antiquiori ævo , pœnam mitigarunt. Plato infamiam pro pœna posuit, *Dial. de ll.* Cortynenses adulteras molli lana coronabant , molliorem illis naturam exprobrantes, atque ita , per civitatem perpetua infamia notatas traducebant, *Ælian. in var. Hist.* Cunæi foro expositas illudebant, *Plut. in prob.* 115. Hæc pœna mansit apud Thebanos, & Heracleenses , *ex Arist. polit. c.* 6. Ægyptii nares fœminis , viris mentulas demetebant , *Diod. Sicul.* 2. *c.* 3. Athenis verò ἐπὶ τῷ δικαςηρίῳ ἄνευ ξιφιδίου χρῆσθαι ὅτι ἂν βουληθῇ : *judicium erat in eam pro arbitrio animadvertente excepta pœna gladii* , *Demost. orat. in Near.* Apud antiquos Germanos adulterarum pœna , ut apud Romanos, maritis permissa. Accisis crinibus nudatam expellebat domo maritus , ac per omnem vicum verbere agebat . Publicatæ pudicitiæ nulla erat venia, *Tacit. de mor. Germ.* Mahumetes etiam impurissimus Legislator uxoribus adulteris perpetuus carcer, *Alcor. Sur.* 4. *vers.* 14.

XXIII. Nec abfuit ab hoc crudeli, sed justissimo more, pia Ecclesiæ indoles , in illud suis pœnis , desæviens . Siquidem crimina, solemni pœnitentia, quæ per XI. secula viguit , *vide Papadop. Mystag. fol.* 416. expianda, ad tria genera restringebantur; infidelitatem , mæchiam , & homicidium , *Tertull. de pudic. cap.* 1. *&* 12. *Pacian. Barcinon. Episc. paran. ad pœnit. Greg. epist.* 92. *ad Rustic. Narbon. Episc.* In his secundum obtinebat locum , adulterium , *Clem. Ro. Epist. col.* 3. hancque præeminentiam crimini confirmavit Justinianus Imperator. Prædicta pœnitentia suos habebat gradus , *Gregor. Neocæs. Epist. Canon. c.* 2. πρόσκλαυσις , *Fletum* , extrà portam Oratorii , ubi pœnitens ingredientes exorabat , ut pro se præcarentur ἀκρόασις, *Auditionem* intra portam , sed post Catechumenos , ὑπόπτωσις , inter eos *Substractionem* , unde pari veluti jure cum Catechumenis manendo, exeundo fruerentur, σύςασις; *Consistentiam*, aut *Consortium* inter fideles, adeò ut cum Catechumenis exeundum ei non esset. Hisce peractis sequebatur, ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων , participatio Sacramentorum, *Petav. Diatr. de Pœnit.*

Pœnit. vet. &c. ad Epiph. hæref. 59. *Gabr. Albasp. obser. l.* 2. Simili olim severitate sui gregis delicta Essæni coercebant. De his insignis est locus Josephi, *de bell. Jud. lib.* 2. *c.* 7. τὺς ἐπ' ἀξιοχρέοις ἁμαρτήμασιν ἁλόντας ἐκβάλλουσιν ἐκ τοῦ τάγματος, ibid. ὁ δὲ ὅρκοις καὶ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδεμένος οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαβεῖν ποηφαγῶν δὲ καὶ λιμῷ τὸ σῶμα τηκόμενος διαφθείρεται. In Oriente apud Christianos, Adulter stabat quatuor annis cum flentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum substratis, ac duobus cum iis, qui consistunt absque Communione, *B. Basil. ad Amphil. can.* 58. & 59. *Balsam. comment. ad d. can.* 58. *S. Basil. & ibi Aristen. Et in Canone* 20: *Ancyr. Concilii habetur: Si quis adulterium commiserit, septem annis pœnitentia completis, perfectioni reddatur, secundùm pristinos gradus*, quod in Concilio apud Vermerias sub anno C. 870. à xx. Episcopis habito, c. 9. repetitum fuit, *Vid. Matth. Monach. sive Blast. Syntag. Ail. M. c.* 7. 14. Pœnitentium habitus erant pullæ vestes cinere conspersæ, facci, cilicia, squallor capitis inculti, totiusque corporis neglectus; severis prætereà jejuniis, orationum frequentia, vigiliis, eleemosynis, aliisque, ἐξομολογήσεις, jugiter exercebantur; à deliciis, conviviis, balneis, & hominum congressibus abstinebant: nec eis militare licebat, nec inire conjugia. Hæc docent Arelat. *Con.* 2. *c.* 21. Leo Magn. *Epist.* 92. *cap.* 11. & 12. Tertull. *de pœnit.* Pacian. *Paræ. ad Epist.* Hieron. 2. *Epitaph. Fabi.* Concil. Agath. *cap.* 15. & Tolet. 3. *cap.* 12. *Vide Papadop. Mystag. fol.* 230. *Vid. Agripp. l. sup. cit. c.* Huic pœnitentiæ, quæ demonstrat, quænam sanctitas morum Christianorum fuerit illius ævi, improbatque præsentia fortasse nimiæ indulgentiæ tempora, successit in hac materia excommunicatio, cùm omnia vicissitudini temporum cogantur sese accommodare, *c. intellex.imus extr. de adulter.* quæ parùm distat ab Atheniensium moribus adulteros templo exturbantium, *ex Demost. orat. contr. Næa.* Et tandem semper adeò atrox reputatum fuit scelus adulterii, ut Nicolaus Po: *Epist.* 42. & *ad consult. Bulgar. c.* 51. homicidio illud comparans, gravius longè sentiat adulterium. Denique, inquit Po: hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione Cataclismo vindicatum fuerit: adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi, sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima, & septuagesima generatione, secundùm Evangelium

luxerit in Mundum. Imò Chryſoſtomus, *homil. 62. in Joann.* comparat cum Idololatria, & neſcio, quid majoris gravitatis in violatione conjugii agnoſcit, ex eo, quod Paulus infideli uxori cohabitara permiſerit, quando id ſine fidei injuria fieri poteſt, adulterium verò dimittendi copiam facit.

XXIV. Ex his colligo, præ cæteris delictis adulterium, jure habitum pro cauſa repudii, ut docuit D. Auguſtinus, *de Serm. in mont. Dei, relat. in c. Dominus 32. q. 7. ubi gloſſ.* illudque ſolum excipit Chriſtus in dimiſſione conjugis, *Matth. 5. & 19.* qui dimiſerit uxorem ſuam, *παρεκτὸς λόγου πορνείας*, facit eam mœchari. Et quod valdè notabile eſt, ſola ſuſpicio adulterii apud PP. habita fuit ſufficiens cauſa dimiſſionis uxoris, *D. Hieron. in 19. Matth. Ubicumque igitur eſt fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, liberè uxor dimittitur; & quia accidere poterat, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret; ſic priorem dimittere jubetur, ut ſecundam, prima vivente, non habeat.* Ergo periculo calumniæ, non defectu juris conjugis innocentis ſecundæ nuptiæ prohibentur, vivente prima adultera conjuge. Juſtificato autem legitimè adulterio, abeſt ſuſpicio calumniæ, & redit jus læſi conjugis.

XXV. Hujuſmodi videntur fuiſſe jura conjugum in conjugale fœdus, primamque maritalem ſocietatem. His Tertullianus docuit, repudio matrimonium dirimi, *de Monog. cap. 9.* teſtaturque Origenes, *tract. 7. in Matth.* Epiſcopos illius ævi permiſiſſe uxori ſecundas nuptias, ob adulterium viri. Concilium Eliberinum habitum ann. 205. circiter Galer. & Conſt. Imper. Viro ex mæchia uxoris imperat repudium rigidiſſima pœna, *cap. 65. Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſciat eam maritus ſuus mœchari, & eam non ſtatim projecerit, nec in finem accipiat Communionem.* Hujuſmodi eſt Neocæſarienſe, quod præceſſit Nicænum initum ann. 225. *cap. 8. 11. edit. Quod ſi in clericatu jam conſtituto eo, adulteravit, dato repudio, dimittere eam debet. 34. diſt. ſi cujus uxorem.* Nec PP. Arelatenſis Concilii, cui interfuit Conſtantinus ann. 314. auſi ſunt vetare conjugibus innocentibus novas nuptias, qui uxores in adulterio deprehendunt. Conſilium ſolum eis dant, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris alias accipiant, *cap. 10.* Ex hoc canone colligit Theodorus Beza, *de divort. & repud. p. iii. & ex eo Launoius d. l. p. 456.* rem eſſe conſilii dumtaxat, non præcepti, ut viventibus uxoribus adulteris, aliæ non ducantur. Card. verò Con-

tarenus,

tarenus, *Concil. summ. fol.* 551. arguit, ea ætate quosdam fuisse, qui existimabant sibi licere, dimissa uxore fornicante, aliam accipere. Animosiores in indissolubilem nexum fuere PP. apud Vermerias, quorum intrepidus sensus refertur, *in c. si qua mulier* 31. *quæst.* 1. *si qua mulier in mortem sui mariti consiliata fuerit cum aliis, & ipse vir se defendendo, aliquem illorum occiderit, si probare potest ille vir, ream esse consilii, potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere*, *Buchard. Decret. lib.* 6. *cap.* 41. *Bernard. Papiens. antiq. collect. decret.* 1. *lib.* 4. *tit.* 20. *cap.* 1. quidquid habeat Baronius, *tom.* 10. *ann.* 870. *num.* 37. At non solùm ex adulterio repudium mittebant conjuges illius temporis, sed fortasse, ut Pharisæi dicebant, *Matth.* 19. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, vel ψιλῆς αἰτίας, ut loquitur Asterius Episcopus Amas. qui anno Christi 400. floruit, Charondæ iniquam legem, ut quacunque de causa liceret uxori à viro divertere, ad suos mores transferentes; quam Thurii coacti fuerunt corrigere, cùm mulieres illa licentia abusæ, præ libidine sua, mutarent maritos, *Diodor. Sicul. lib.* 12. Hoc licet conjicere ex Constitutione Constantini ad Ablavium P. E. P. ann. 331. edita, quæ est, *lex.* 1. *de Repud. C. Theod.* Hac negat Costantinus mulieri repudium exquisita causa licere viro mittere, veluti ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario; sed solùm si homicida, si medicamentarius, scilicet veneficus, vel dissolutor sepulcrorum (seu violator, *vide Novell. Theod. elegantem de sepulc.*) sasque dicit viro repudiare uxorem, si mœcha, vel medicamentaria, vel conciliatrix, idest læna, addita pœna mulieri aliter repudianti, depositione rerum mundi muliebris, usque ad acuculam capitis, idest parvam acum, in domo mariti, ac in insulam deportatione: Viro verò integra dotis restitutione, interdicto novo conjugio. Verba legis: *Placet mulieri, non licere propter pravas cupiditates marito repudium mittere exquisita causa, vel uti ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario. Nec verò maritis, propter quascunque occasiones uxores suas dimittere. Sed in repudio mittendo à fœmina, hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem* (in MSS. Seld. violatorem) *maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem recipiat. Nam si præter hæc tria crimina, repudium marito miserit, oportet eam usque ad acuculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sua confidentia in insulam deportari. In masculis etiam si repudium mittant, hæc tria cri-*

mina inquiri conveniet; si maebam, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. Nam, si ab his criminibus liberam ejecerit, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere. Quod, si fecerit, priori conjugi facultas dabitur ejus domum invadere, & omnem dotem posterioris uxoris ad semetipsam transferre, pro injuria sibi illata. Amisæus ad hanc legem non adverrit; nam, *cap. 5. de marito*, citat d. legem, & addit; *ubi sancitur: viro licere repudiare uxorem, sed non è contra*, Utrique siquidem eadem lege fas fuit repudium dare.

XXVI. Miror hùc quomodò Seldenus, *de uxor. Hebr. lib. 2. cap. 28.* arbitratus sit, dictam legem fuisse latam de consilio Christianorum. Antistitum. Si hac lege, pro repudii causa, sola præscriberetur conjugis scortatio, quæ in Evangelio scripta legitur, toleranda foret opinio Seldeni: sed cùm dicta lex, & veneficium, & lenocinium pro causis repudii admittat, Christus verò, *Matth. 5. & 19.* solùm ab πορνείας permittat divortium, mihi animus non est Seldeno subscribere, nec hanc notam illius seculi Episcopis permittendi in Christi legem repudia, inurere. Mirum tamen est, ut observat Seldenus, *d. l. c. 3.* Patres Nicænos nec aliter sanxisse, nec restituisse, notavit & Spalatensis, *d. lib. de Rep. Chr. c. 5.* Probabile censeo, populis adhuc Judæorum, vel Gentium, quoad connubia faciles avitos mores retinentibus, *Selden. de uxor Hebr. lib. 3. cap. 27.* malè doctrina Christi accepta, Constantinum, lege lata, occurrisse levitati divortiorum, frænumque tantùm injicere voluisse, ne ultrà progrederetur larvata libido; quæ adeò licentia repudiorum recrudit, ut sub Arcadio Imperatore, οἱ τούτων κάπηλοι τὰς γυναῖκας ὡς ἱμάτια εὐκόλως μετενδυόμενοι, *maritos veluti mulierum institores mulieres, seu vestes subindè mutasse: & thalamos tam facilè mutasse, atque ergasteria in nundinis*. Vel dic cum Sanchez, *de matr. lib. 10. disp. 1. num. 3.* eadem ratione ab Imperatoribus permissa repudia, qua à Mose. Notat Commentator ad hanc legem, Constantinum vetasse conjugia dissolvi, solo consensu, seu contraria voluntate, quod jure Ro: olim obtinuerat, *ex 2. Philip. Cicer. & leg. pen. ad leg. Jul. de adult. & Angel. & Ambrof. Epist. 65.* Tamen posteà revectum; verùm rursus abolitum à Theodos. Junior. *l. 8. c. eod.* & à Valentin. III. *Novel. ult. cap. 7.* Sed iterum revocatum sub Anastasio, *l. 3. c. eod.* & sub Justiniano, *Novell. 32. c. 42.* deinde prohibitum ab eodem, seu potiùs à Theodora conjuge, ut vult Bodinus, *Novell. 117. cap. 10. & 134.* Tandem à Justino Imper.

renova-

renovatum, *ἀνεκαινίσθη ὑπὸ Ἰυςίνε βασιλέως*, *Phot. qui floruit ann. C.* 870. *Honor. tit.*13. *c.*4. per Novellam suam secundam apud Jul. Antecess. ann. C. 566. malè Justiniano adscriptam, & inter Novellas ipsius insertam ad n. 143. *Cujac. ad eand. Baron. ad ann.* 566. Hic Justinus successor fuit Justiniani cognomento Curopolates. Paulus Aquilejensis, nepotem Justiniani fuisse scribit, Zonaras Consobrinum, Cedrenus ex sorore Justiniani natum. Hinc fortasè titulus dictæ Novellæ est: *ὥςε δύνασθαι κατὰ συναίνεσιν λύειν τὸν γάμον*, *ut consensu matrimonium solvi possit:* scilicet revocatur in lucem jus pristinum, seu vetus, ac Anastasiana Constitutio, *Phot. d. l.* Sed hæc uti injuriosa conjugii sacris jure periit. Scholiastes enim vetus ad eandem hæc habet: *ἰςέον δὲ ὅτι εἰς τὰ βασιλικὰ τῦτο τὸ κεφάλαιον ὀ κεῖται. ὀ δὲ γὰρ πράττεται νῦν, ἀλλὰ τηρεῖται τῦτο ἡ συναίνεσι λύειν τὸς γάμυς*, *scire autem oportet, caput hoc, seu Novellam illam Justini inter Basilica non esse relatum. Nec modò in usu est, sed consensu matrimonia dissolvendi mos est sublatus.* Basilius siquidem Macedo, qui imperavit anno C. 867. cum filiis Leone, & Constantino, quandam juris Epitomen, quam vocavit *πρόχειρον*, edidit, distinctam LX, titulis, ex qua Harmenopulus suum hausit Promptuarium, excerpsit, & compilavit, ut ipse in sua præfatione scribit. Hunc consequutus anno 900. Leo filius doctissimus, qui inter Augustos secundus Philosophus nuncupatur, collatis omnibus, quæ de jure civili extabant voluminibus Dig. Cod. & Nov. ut etiam *προχείρῳ* à seipso composito novum Corpus, & volumen juris *ἀναλυτικώτερον*, libris LX. fabricatus est, quod idem *ἑξηκοντάβιβλον*, & quia Principum leges continet *βασιλικὰ* dixit. In eo XIII. titulus est, *περὶ γάμυ λύσεως, ἢ τῶν τῆς λύσεως αἰτιῶν*, *de solutione matrimonii; deq; solutionis causis.* Sub hoc titulo nihil de solutione conjugii ex mutuo consensu, sed eadem statuuntur, quæ Justinianæa fuere, circa divortia. Enumeratis ibi divortiorum causis *δὲ πρότω*, inquit, *παρὰ ταύτας τὰς εἰρημένας αἰτίας διαζύγιον γίνεσθαι, ἢ κατὰ συναίνεσιν τὸς γάμυς διαλύειν*, *nullo modo præter has indicatas causas divortium fiet, vel ex consensu matrimonia solventur.* Hinc videtur jus ex mutuo consensu divertendi desiisse post novationem illam Leoninam juris Cæsarei. Hoc etiam deprehenditur ex synopsi Proconsulis, & Judicis Attaliatæ, qui floruit anno 1070. quique jussu Michaelis August. composuit *πόνημα νομικὸν ἤτοι πραγματικόν*, *opus juridicum, seu pragmaticum.* Hoc titulum habet: *περὶ λύσεως γάμυ de solutione matrimonii. Matrimonium*, inquit, *remotissimis ab hinc temporibus ex* con-

consensu conjugum, *vel ex unius partis voluntate solvebatur*. *Posteà verò per Justiniani Novellam expressim positæ sunt causæ, propter quas solas, tam vir, quàm mulier mittere possit repudium : atque adjicit* : ϗ χωρὶς τούτων νόμος ἀνίσχυρος λύσει, *& citrà illas causas irrita est matrimonii solutio*. Eædem fusiùs à Const. Harmenopulo Judice Thessalonicense, sub Emanuele Comneno Imp. circa ann. C. 1150. traduntur, *Proch. lib. 4. tit.* 12. Ita à Balsamone Patriarcha Antiocheno, qui vixit sub ann. C. 1200. *in Phot. Nom. tit.* 13. *c.* 4. *& in c. Apost.* 5. *& in c.* 87. *Synod.* 6. *in Trul.* Et quamvis Leonis successores, qui deinceps à Porphyrogenitica, Comnena, & Paleologa familia Orientis sceptra, tenuerunt, suo quisque tempore Novellas quasi certatim addiderit; & in his sibi invicem derogare, & abrogare nunquam desierit, ut cognitio juris gravis, operosa, & quasi intricatissima videretur; tamen jus divertendi ex consensu in Oriente non rediit, *scolast. ap. Car. Fabr. in Sch. ad Theoph. lib.* 1. *tit.* 10. Sed inter illa annumeratur à Michaele Psello, qui vixit circ. XI. seculo ἐσχόλασαν τῷ χρόνῳ, quæ tempore evanuere, *Synops. leg. vers.* 430. Hic merito redarguendus Launoius, qui, *d. l. p.* 61. 305. 322. 324. 521. docuit dissolutionem ex mutuo consensu à solo Justiniano primùm vetitam. Interdictum hujusmodi legitur; non solùm in sacris literis, *Matth.* 5. *atq.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 16. *in canonibus*, *& Conciliis c.* 2. *cau.* 33. *q.* 2. *Concilii Milev. c.* 17. *& infrà*, sed in ipsis Principum constitutionibus, ut suprà vidimus. Hinc clarum est, divortiorum materiam ab arbitrio Principum pependisse; sed eo ævo, quo Ecclesia publica vindicta indigebat. Honorius verò Imperator causas repudii distinxit, amplificavitque, auctis injusto repudio pœnis, justoque premiis propositis, lege lata, anno 421. quæ est secunda, *C. Theod. de repud.* Hic quoad rem nostram uxori, levitate morum, ἀποστασίαν, seu repudium mittenti, nullaque divortii sui causa probata, secundum connubium negatur, eaque deportationi adacta, jus postliminii, reditum scilicet, seu spem redeundi ad priorem virum interdicit, perpetuoque cœlibatu damnat. Hæc quoque pœna retenta, si morum vitia, mediocresque culpas objecerit viro. Huic pœnæ non subjicit uxorem, si graves causas, ac involutam magis criminibus viri conscientiam probasset; quorum nomine, omnia crimina publica, quæ publicis legibus vindicantur, contineri putant viri docti. Sed viro, qui ob mores uxoris repudium dixisset, nova connubia inire datur, post biennium, indicta ei pœna perpetui

petui cœlibatus, si solo dissensu repudiasset; quo casu mulieri post annum, novarum nuptiarum jus concessum. Verba legis: *Mulier, quæ repudii à se dati oblatione discesserit, si nullas probaverit divortii sui causas, abolitis donationibus, quas sponsa perceperat, etiam dote privetur, deportationis adjicenda suppliciis, cui non solùm secundi viri copulam, verùm etiam postliminii jus negamus. Si verò morum vitia, ac mediocres culpas mulier viro reluctata convicerit, perditura dotem, donationem verò refundat, nulliusque unquam penitus socianda conjugio, quæ ne viduitatem stupri procacitate commaculet, accusationem repudiato marito jure deferimus. Restat verò, ut si graves causas, atque involutam magnis criminibus conscientiam, probaverit, quæ recedit dotis suæ compos, sponsalem quoque obtineat largitatem, atque à repudii die post quinquennium nubendi recipiat potestatem: tunc enim videbitur sui magis viri id execratione, quàm alieni appetitione fecisse. Sanè, si divortium prior maritus objecerit, ac mulieri grave crimen intulerit, persequatur legibus accusata, impetrataque vindicta, & dote privetur, & suam recipiat largitatem, & ducendi mox alteram liberum sortiatur arbitrium. Si verò morum est culpa, non criminum, donationem recipiat, & dotem relinquat, aliam post biennium ducturus uxorem: Quòd si matrimonium solo maluerit separare dissensu, nullisque vitiis, peccatisque gravetur exclusa, & donationem vir perdat, & dotem, ac perpetuo cœlibatu insolentis divortii pœnam de sollicitudinis mœrore substineat, mulieri post anni metas nuptiarum potestate concessa. Super retentionibus autem dotium, propter liberos, juris antiqui præcipimus cauta servari.* Ex his patet illius seculi disciplina, qua divortia, nullis causis, vel levibus fiebant, novaque connubia repudiantes inibant, quæ sanè magna labes fuit. Explicat Theodosius Jun. Imp. lege sua lata ann. 451. quæ sint crimina, ob quæ repudium permissum: *Si qua igitur*, inquit, *maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperium, aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulcrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, vel abactorem, vel plagiarium* (animalium, vel hominum furem) *vel ad contemptum sui, domusve suæ ipsa inspiciente, cum impudicis mulieribus, quod maximè etiam castas exasperat, cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, afficientem probaverit, tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem, aut causas dissidii legibus comprobare,*

probare,

probare. Ultrà prædictas causas mulieri assignatas, pro repudio viri, præscribit Imperator Viro in mulierem; *si extraneorum virorum se ignorante, vel nolente, convivia appetiierit, aut ipso invito, sine justa, ac probabili causa, foris scilicet pernoctaverit, vel circensibus, vel theatralibus ludis interfuerit*, poterat sacrum indissolubile conjugale vinculum minus fieri, si etiam præsumptione sola rumpebatur. His causis probatis, facultatem nubendi mulieri, post annum concedit, viroque statim aliam ducendi indulget. Sub Anastasio Imperatore ann. 499. indultæ secundæ nuptiæ, post annum ex repudio, solo consensu misso, *leg. 9. C. eod.* quod abrogavit Justinianus, ut dictum est, *Novell. 117. cap. 4.* Causas verò pro repudio, & ipse confirmat. Si uxor in imperium cogitaverit, aut conscia fuerit, si de adulterio convicta fuerit, si vitæ viri insidiata fuerit, si cum viris extraneis, nolente viro, convivatur, aut cum eis lavetur, si foris domum manserit, siquidem prohibente, seu ignorante viro circensibus, aut theatris, aut amphiteatris interfuerit. Ex moribus siquidem orientis mulieri fas non erat, in publicum prodire sine arbitrio viri, *Æmil. Prob. in procem. Vit. Impp. Rom. Lips. 1. Antiq.* 1. Item uxori statuit causas repudii: si vir in imperium cogitaverit, si uxoris vitæ insidiatus fuerit, si de adulterio inscripserit uxorem, & adulterium non probaverit, sique cum aliis mulieribus, vel domi, vel in alia domo, conversatus fuerit, si pudicitiæ conjugi insidias struens aliis eam stuprandam tradere conatus fuerit, *c. 9.* Ex qua fortè ad occidentales dimanavit causa divortii ex lenocinio viri, *Gothof. ad d. Novell. Molfes, tit. 1. ad Constit. Neap. p. 6. q. 5. Riginal. lib. 3 1. n. 316.*

XXVII. Edidit quoque Justinianus sanctionem de solutione Matrimoniorum; ut si mulier marito etiamnum superstite de Matrimonio, cum altero egisset (adeò grave illa tempora adulterium faciebant) non ampliùs illam, ut ipsius membrum ipsi jungi liceret, sed ceu insidiatrix ab illo evelleretur, *Novell. 2. c. 56. §. 1.* Postmodum sibi contradicens, *Novell.* 117. *cap. 8. in fin.* ob hanc causam dirimi non permisit matrimonium. Sed Leo Imp. *Const. 30.* priorem, lege lata, in Republica observari jussit, ac posteriorem Justiniani voluntatem abrogavit. Idemque Imp. Leo inherendo Justiniani Novellæ 22. *cap. 16. §. 1.* divortium permittenti marito injuria effecto, quam ipse Justin. revocaverat, *Novell. 117. cap. 8.* priorique, ut utiliori, autoritatem attribuens, repudium marito permisit, ex abortu per uxorem patrato ex industria, *Harmen. lib. 4.*

Epit.

Epit. t. 1. quas valdè graves dixit Reusner. *q. P.* Idem licuit, quoties pro virgine ducta deprehenderetur antea vitiata, vel sponsa gravida, *Novell. Leo.* 93. *Vid. Theod. Adama. in Epist. de d.* ... *Harmenop. præficit.* Hæc causa apud Nos non admittitur, Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 18. *n.* 17. quidquid ingeniosè consulendo scripserit Noalis, *cons.* 22. Ex furore conjugis, matrimonium dissolvebatur, sed diversimodè. Impp. enim Diocletianus, & Maximus, solum viro repudium concessere ex uxoris furore, *l.* 4. *de curat. fur. &c.* Digest. verò 22. .. *tit. lib.* 24. *apud Oriental.* & in nostris *lib.* 24. *tit.* 2. *l.* 16. ex intolerabili duntaxat furore conjux furioso nuncium mittere potest. At utrumque jus abolevit Justinianus, *Novell.* 117. ut observat Photius. *Nomoc. t.* 13. *c.* 30. quæ Novella ideo posita fuit in Basilicis, *c.* 22. *tit.* 8. *lib.* 28. Notabilis est elegantia phrasis, *dict. Digest.* à numeris musicis acceptæ, ubi pro *nuncium* mittere usurpat διάζιον, scilicet separationem. Διάζιον enim est sonus musicus, ita à Philosophis nuncupatus, qui omnium *tenorum* concentum χωρίζων τὴν διὰ πασῶν ἁρμονίαν separet; unde & διάστημα idest distantia dicitur. Cùm itaque conjuges unius concentus vicem obtineant (erunt enim, inquit Sacra Scriptura, duo in carne una) si ex justa causa divisio, & separatio inter illos quomodocumque interveniet, διάζιον, fieri dicitur, quod in Sponsis propriè locum non habet, sed pro eo διαζύγιον, apud nos repudium, *Vide Phot. ubi sup.* At iterum innoxia in forum, hoc jus Leo Sapiens Imp. Extant duæ Novellæ scilicet 111. & 112. ejusdem Leonis, quibus concessum videtur divortium ob furorem cum aliqua temporis probatione, quibus abrogatur lex XVI. *de rit. nupt.* Nam in Novella 111. statuitur, ut si uxor mente capiatur; idque neque dolo mariti, neque ipso conscio, aliorum maleficio fiat; & ultrà tres annos id malum duret, matrimonium dirimere, aliamque uxorem marito ducere, liceat. In Novalla autem 112. statutum, ut si maritus, per matrimonii tempus in furorem incidat, intra quinquennium solvi nequeat; eo autem elapso, si furor adhuc eum occupet, solvi possit. Nicephorus Botoniates. Imper. easdem Novellas confirmavit, atque in lib. Basilic. lib. 29. Eclog. tit. 2. sic scriptum: μαινομένης ὁ γάμος μένει, ἐρρωμένως ἢ καλῶς αὐτῷ στέλλεται διαζύγιον, *cum furioso matrimonium ratum manet, ac rectè repudium ei mittitur.* Sed Photius, *tit.* 13. *Monoc. cap.* 30. negat, Novellas prædictas Leonis usitatas fuisse, & potiùs stari Novellæ Justinianeæ 22. *cap.* 15. *& Novella*

vella 115. *cap.* 8. & 9. Meritò quidem, etiam ex eo, quod Fabianus Po: qui Ecclesiam rexit ann. 237. vetaverit, ex furore conjugis maritalem societatem dissolvi, *cap. neque* 32. *q.* 7. *Ricc. ad Lancell. instit. Can. l.* 2. *tit.* 16. *de divort.* & quidem ex illamet ratione, qua laribus, mensa, & thoro, & adulterio conjugibus divortium permittitur. Si tamen furor præcesserit, conjugium propter defectum consensus irritum judicant leges, *l.* 16 *de ritu nupt.* non verò si postea accidat, *l.* 8. *de sponf.* Ita regulariter decidit Rota, *in noviss. decis.* 173. *n.* 8. *p.* 2. & in terminis Matrimonii Cujacius, *insid. Paul. recept. Sent. lib.* 2. *tit.* 19. *n.* 1. Dubitatur de tempore intermissi furoris. Alii enim continua mentis alienatione omni intellectu carent: alii internalis quibusdam sensu saniores sunt, &c. tum furor intervallum, seu intermissionem habere dicitur, *l.* 14. *de offi. præs. l.* 12. *§.* 2. *de jud. l.* 22. *§.* 7. *solut. matr.* Licèt igitur matrimonium furiosis contrahere simpliciter prohibeatur, *Rot. in Camerin. Matrim.* 1624. *coram Burat. n.* 2. ut etiam ab administratione officii à religione, seu regulari statu ab electione in Episcopum, à promotione ad Sacra, ad beneficia, arceantur, *Rot. coram Cantuc. in Ulixib. profess.* 22. *Jun.* 1579. *Ramnac. decis.* 190. *n.* 3. & 5. *vol.* 1. *p.* 2. *Petr. à Brix. in direct. elect. p.* 1. *cap.* 15. *n.* 2. tamen an tempore intermissi furoris sacrum conjugium inire possint, valdè dubium; quod solum declarari potest, benè considerato charactere, vi, & duratione morbi, & intervalli, sub censura Medicorum, *Vid. Mascard. de probat. concl.* 728. *n.* 9. *vol.* 2. Quid si furror insurgat post consensum mutuum conjugum ante copulam? Sponsalia rescindenda docent Beza, *de repud.* p. 90. Cypr. *c.* 13. *de matr.* §. 59. *nu.* 1. Keminia. *in lib. de conjug.* Reust. *de sponf. p.* 1. *c.* 21. Contrà disputat Gentilis, *c.* 6. *de nupt. c.* 18. & 19. Cæterùm Constitutiones editæ à Leone post libros *Basilicôn*, juris correctoriæ periere; illis dumtaxat exceptis, quæ legibus aliis non existentibus, scriptæ fuerunt, vel in appendicem prætermissarum in Justinianeis Novellis, *Attali. Synopf. tit.* 95. Hujusmodi est Novella, qua irritum declaratur conjugium, si alter ex conjugibus obsessus sit à dæmone, ut notat scholium ad c. xi. Petr. Alexand. *ven. Leone. epit. fac. Canon. f. m.* 55 Excipit Cujacius Novellam, quæ de benedictione matrimonii data est. Lxxxix. quæ quidem perpetuo vivere merebatur. Huic prohibet Concilium Carthaginense iv. *c.* 13. & Ambrosius *epist.* 70. Sed ne longiùs, quàm par est, progrediamur,

diamur,

dicamur, satis sit allegare Alexii Comneni Novellas *de nuptiis, & sponsalibus, ac sponsalium solutione*, Isaacique Angeli, *de nuptiis septimi gradus*. His conformis est Synodica Sententia Alexii Patriarchæ sub Basilio, & Constantino AA. *Leunc. lib. 3. Jus Græco-Rom.*

XXVIII. Ex his iterum satis mirari non possum, indissolubile foedus, quo nihil venerabilius, *Novell. Justinia.* 140. si auctorem ipsum Deum, si tempus primum rerum initium in statu innocentiæ, si finem, propagationem humanæ speciei spectes à Christo in Sacramentum elevatum, ex quo nasci voluit, licèt sine viri semine, & ex Virgine, sub Christianis Imperatoribus de religione emeritis, tot repudiis fuisse obnoxium, reverà tot adulteriis pollutum, & non solùm Principum desidia, vel cætera vitia, vel neglecta, vel permissa repudia, æquè Judaismum, ac Gentilismum redolentia, quæ adulteriorum patrocinia dici poterant, apertè resistente Numinis lege, ac Christi doctrina, sed Constitutionibus authorizata, per tot secula, quibus stetit Orientis Imperium, ac quibus miserè cecidit. Hinc liquet quæ nam fuerint leges, moresque Orientis circa repudia, quorum veluti ideam habes ex Canone Lxvi. Concilii Niceni apud Turrian, qui tamen cùm ex Arabico traductus sit, cùmque in canonibus dicti Concilii, qui apud Græcos, & Latinos sunt, non occurrat, valdè suspectus redditur. De his celeberrimus Theologus, ac JC. xi. seculi Joannes Zonaras Monachus, non semel monuit *in c. Apost. 5. & in c. 87. Synod. VI. in Trul. & in Concil. Carthag.* c. 16. & Matthæus Monacus *pout. Leuncl. lib. 8.* At nec ita apud antiquos Barbaros, gentilesque Germanos conjugium habebatur, apud quos maximum vinculum, arcana sacra, diique conjugales arbitrabantur. Inter illos, virgines tantùm nubebant, & cum spe, votoque uxoris semel transigebatur. Sic unum accipiebant virum, quomodo unum corpus, unamque vitam, nec ulla cogitatio ultrà, nec longior cupiditas, nec tanquam maritum, sed tanquam matrimonium amabant, *Tacit. de mor. Germ.*

XXIX. His acceptis, quid Vulgus caput movet, chachinaturque quoties infelix uxor, vel ex adulterio, vel ex sævitia viri, seu meliùs ex tyrannide maritali, cæteris atrocioribus sceleribus silentio consignatis, in Ecclesiasticis Curiis actionem intentat divortii, dumtaxat quoad thorum, sub sacrorum canonum præsidio, ac antiqua Ecclesiæ disciplina? Vulgus est, seu secura parola est, *Juven. Satir. 6.* Ex his elicio, ex adulterio, Imperialibus legi-

bus repudia, novaque connubia permissa, licitasque uxoribus novas nuptias. Et quidem D. Augustinus, *de adult. nupt. lib.* 1. *cap.* 8. docet, parem esse formam in hac causa viri, atque mulieris; probatque S. Basilius Cæsariensis Episcopus, *ad amphylo. epist. Can. cap.* 9. ἡ δὲ τοῦ Κυρίου ἀπόφασις κατὰ μὲν τὸ τῆς ἐννοίας ἀκολούθησιν ἐξ ἴσου, καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξὶ περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι γάμου ἐξίστασθαι παρεκτὸς λόγου πορνείας. *Domini dictum quòd non licet à matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem, secundùm sententiæ consequentiam, ex æquo, & viris, & mulieribus convenit*: Et quamvis contraria tunc temporis fuisset consuetudo respectu uxorum, quæ ex adulterio viri minimè diverterent, ut testatur, D. Basilius, *Can.* 9. *& ibi Zonaras, Balsam. & Aristen.* ἡ δὲ συνήθεια οὐχ οὕτως ἔχει, *consuetudo autem non ita se habet*: *Sed in mulieribus quidem multùm accuratè, & diligenter observari invenimus, cùm Apostolus quidem dicat; quod qui adhæret meretrici, fit unum corpus. Hieremiâs autem, quòd si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur, & rursus qui habet adulteram, stultus est, & impius. Consuetudo verò etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes jubet à mulieribus retineri. Quare quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio, an possit adultera appellari. Crimen enim hìc attigit mulierem, quæ dimisit, quamnam ob causam à conjugio decessit. Sive enim pulsata verbera non ferat, pati satiùs erat, quàm à conjuge separari: sivè jacturam in pecuniis non ferens, nec ipsa est justa accusatio; sin autem quòd ipse vivat in fornicatione, non habemus hanc observantiam in Ecclesiastica consuetudine, sed etiam ab infideli viro non jussa est mulier separari, sed manere propter incertitudinem eventus. Quid enim scis mulier, an virum sis servatura? Quare, quæ relinquit, est adultera, si ad alium virum accessit. Qui autem relictus est, est dignus venia; & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. Sed si vir, qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam facit eam adulterari, & quæ ei cohabitat, est adultera eo, quòd alienum virum ad se traduxit*. Hanc consuetudinem sustulit Justinianus Imp. *Novell.* 117. *tit.* 7. *lib.* 27. ut notavit Balsamon, *ad d. c.* 9. Idem Zonaras *ibi*, ubi notat ex Justin. Imp. Novell. *de divort.* nuptias dissolvere mulieribus ob Zelotypiam permissum, quod etiam notavit Matthæus Monachus, *Syntagm. Alphab. lib.* 9. *f. m.* 80. Hanc legem zelotypicam, si quis excusare velit, adeat Arnisæum, *de polyg. c.* 4. *n.* 18. ubi mirandas, horrendasque Zelotypias vi-

res legit. Idem notat Ariſtenus *ad d. c. 9.* ubi : Etſi Dominus virum ab uxore ſua disjunctam (præterquam in fornicationis cauſa) & mulierem ſine ratione à viro ſuo ſeparatam æqualiter condemnat; tamen conſtitutio Eccleſiaſtica id aliter fieri jubet. Nam virum, ſive fornicantem, ſive adulterantem, ab uxore ſua retineri mandat, & mulierem, ſi alio viro contaminetur, dimitti ſinit, & non ampliùs à viro ſuo retineri. Porrò ſi mulier virum ſuum dimittit, prætextu, quòd iſte in fornicatione cum *ipſa* vivit, & ille aliam duxerit uxorem, actio, & accuſatio contra mulierem eſt, quæ virum ſuum dimiſit, quem retinere etiam fornicantem debuit. Viro enim aliam ineunti fœminam venia datur. Idem repetit Baſilius. *c. 21. ubi Balſam. Zonar. & Ariſt.* ſed jure Juſtinianus Imp. ut dictum eſt, abolevit dictam conſuetudinem, uti faſſus eſt Covarruvias, *2. p. c. 7. §. 5. n. 8.* Reverà vir, & uxor ſocii dicuntur, *Gen. 3.* fortunarum, ſacrorumque, *l. Romul. xi. l. adverſus C. de crim. expil. hæred. Liv. 1. 9. Tacit. 3. annal. 15. & 34. & de morib. Germ. 18.* Conſortium Modeſtinus, *l. 1. de rit. nupt.* appellavit matrimonium omnis vitæ divini, & humani juris communicationem; & forum, & domicilium viri ſortiri dicitur uxor. Imò conjugium dicitur amicitia, & quidem fortiſſima, *Ariſt. 8. Eth.* in ſocietate autem præcipuum eſt æqualitas, *l. ſi non fuerint, ff. pro ſoc.* & amicitia in æqualitate conſiſtit, *Ariſt. 16. c. 1. Plat. 6. & 8. de ll.* Quare ſcribit Lactantius, *lib. inſtit. xi. c. 3. Non enim ſicut juris publici ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium; maritus autem, ſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit*. Idem dixit D. Hieronymus, *ad Ocean. Apud Nos, quod non licet fœminis, non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur*. Hinc leges Imperiales, quæ æquè viro, & uxori non favent à Chriſtianis repudiatæ, *l. 1. C. de adult.* Pro coronide ad leges Imperiales in hac re eſt lex Conſtantini, ſeptima, *de repud.* cujus mentionem facit Juſtinianus, qua novum connubium indulgetur uxori, ſi vir miles tacuerit per quadriennium, & nullum ei fiat ab illo ſignum ejus circa eam effectus. Hanc reſtrinxit Juſtinianus ad decennium, & tandem abolevit, *Novell. 117. cap. 12. Auth. ut liceat matri*, ut non niſi morte viri probata fas eſſet uxori ad ſecundas nuptias tranſire. In hoc ſenſu ſcripſit Clem. III. qui Eccleſiam gubernavit anno 1188. ad Cæſarem Auguſt. Epiſcopum,

relat.

relat. in cap. in præsentia de sponsal. & antea Lucius III. qui fuit Pontifex ann. 1181. *cap. Dominus de secund. nupt.* Prædicta Pontificea videntur hausisse sententiam suam à canonibus. 31. & 36. S. Basilii ad Amphil. quos vide, & ibi Zonar. & Arist. & à canone 3. Synodi in Trullo. Ab his omnibus recessit indulgens Lutherus, qui *in lib. de Capt. Babyl. cap. de matr.* post decennium à discessu viri, uxori permittit secundum matrimonium. Hunc sequuntur Beza, *de divort. p.* 212. Beust. *de Matr. p.* 2. *c.* 6. Mansi, *de nupt. ad fin.* & cum eis Saxones omnes, & communiter Lutherani, VVolfangus, *Synops. vir. Gent. c.* 3. *n.* 50. ubi sub vocabulo πορνείας docet comprehendi desertionem conjugis redolentem adulterium præsumptum, eoque iu Consistoriia Regum, Principum, Statuumque Protestantium conjugia dissolvi. De jure siquidem DD. quinquennium uxor cogebatur expectare absentem virum, *l. uxor. de divort.* de jure Cod. quadriennium, *l. uxor. C. de repud.* & de jure novissimo, ut diximus, decennium, *§. novimus Auth. de nup.* non tamen quia desertione solvatur vinculum conjugii, sed quia probabili morte diremptum judicatur. Non spernendam addunt rationem, eamque desumunt ex c. 1. Paul. *ad Cor.* 7. At illud privilegium fidei est, quod divinitus edoctus Apostolus promulgat in legem conjugii, quo habet solùm locum in conjugiis infidelium ad fidem conversis, *Gentil. de nupt. c.* 6. *c.* 14. Extat in hac re Decretum S. Stephani I. Regis Hungariæ, qui regnavit ann. 997. quo uxori à viro relictæ, qui è patria aufugerit, propter abominationem uxoris, permittitur secundum connubium, *cap.* 28. *vide Pont. de matr. lib.* 6. *c.* 2.

XXX. Verùm, redeundo unde digressi sumus, quid politicorum Principum, potestas in Sacramenta Ecclesiæ, quid in sacram conjugii *vide c.* 1. *de sponsal. Tolos. de Repub. lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 30. *Mart. de jurisd. part.* 4. *cent.* 1. *cas.* 70. *à num.* 2. *cap. imperium x. dist. cap. fin. de rebus Eccles. non alienam, cap. Eccles. S. Mariæ de Const.* Unius Ecclesiæ est decernere de substantia, validitate, materia, & forma sacramenti matrimonii, hocque fidei caput est, de quo nemo dubitat Orthodoxus, dixit Isaac. Hebert. *p.* 131. *& seq.* Etiam Gujelmus Ocham Lateranus Cuculatus, qui hac in re Principibus, injustè astruit jurisdictionem, in causis matrimonialibus, ad Ecclesiæ auroritatem spectare de his cognoscere in iis, quæ aut præscripta, aut prohibita sunt lege divina, *de caus. matr. Vid. Schult. inst. jur. can. lib.* 2. *tit.* 13. *vide Habert. ad Optat. Gall. Vid. Cler. Gall. expostul.*

expostul. & resp. relat. per Anonym. in Launo. obser. 6. f. m. 132. & seq. Arnisæ de crim. qua pro caus. divort. Vide Delben. de immun. 9. 10. & dubit. 20. & 21. Fatetur Honorius Imper. *in Epist. ad Arcad.* cujus testimonium valdè existimat Joann. Parisiensis *de potest. reg. & pap. cap. 15.* (ommissis , quæ allegat Bellarm. *tom. 1. contr. lib. 3. de verb. Dei, cap. 3. ad fin.*) ad Pastores Ecclesiæ de iis decernere , non verò ad oves , etiamsi penes illas summa sit potestas . Laicus verò , etsi omni pietatis, & sapientiæ laude præstet, tamen Laicus est. & ovis, non pastor, *Basil. Imp. ad 8. synod. act.* ὁ γὰρ λαϊκὸς κἂν πάσης ἐστὶν εὐλαβείας , καὶ σοφίας μεστὸς , ἀλλὰ λαϊκὸς καὶ πρόβατον , οὐ ποιμήν . Recentius , ac expressius est hac in re Regis Galliarum testimonium ad Concilium Tridenti conctum . *Cardinalem* , inquiunt Oratores , *Regem nostrum cupere quidem , ut patrocinium suorum omnium ratio habeatur, sic tamen à Christiana disciplina edoctum, & institutum esse , ut vobis omnibus omnia tribuat , RERUMQUE OMNIUM ISTARUM RATIONEM , COGNITIONEM , ET JUDICIUM AD VOS OMNINO SCIRE PERTINERE , Fascic. Actor. Concil. Trid. Paris. edit. cui tit. Instruct. & Memoires pour le Concil de Trent Arti. 28. Suav. Hist. Concil. Trid. lib. 7. Pallav. lib. 19. c. 11.* Leve est argumentum Autoris Historiæ Concilii Trid. *lib. 4. f. m. 342.* quod hausit ad verbum à Molinæo , *relat. à Ruffo. f. m. 482.* quo conatur probare laicos capaces jurisdictionis spiritualis, vocatque contrariam sententiam absurdam, & impiam . Sed quàm frivolè! Inquit , itaque , Laici sunt filii adoptivi Patris Cœlestis , vocanturque filii Dei, digni sunt Gratiæ Divinæ , Baptismatis, ac Communionis ipsius carnis Christi. Quid inde? Laici, ut oves spirituales spiritualiter pascendi sunt , omniumque spiritualium digni æquè sunt, ac Clerici. At oves pascere, seu Pastores, seu alias oves nequeunt . Nonne greges à Pastoribus pascuntur ! *Eze. cap. 34.* Oves, ait Gregorius , *orat. 7.* nolite pascere pastores , neque ultrà fines vestros insurgere . Satis est vobis , si benè pascamini. Non laicis , scilicet omnibus , sed Pastoribus, scilicet Ordini Hierarchico , seu Ecclesiæ strictè sumptæ commissa est cura pascendi, *Matth. cap. 16. Jo. 21. Petr. Epist. 1. cap. 2. Chrisost. lib. 2. de Sacerd. alleg. à Dupin. de potest. Eccles. fol. 19.* Principis est, qui ποιμὴν λαῶν dicitur, pascere, seu regere subditos populos. At subditi, post translatam in Principem potestatem, incapaces principandi. Quid de Laicis respectu spiritualium, quorum administrationem unquam habuerunt, sed

corum

eorum ἐξουσία à Christo Ecclesiæ, scilicet Hierarchico ordini commissa fuit. Insuper laici incapaces sunt ministerii Verbi, & administrationis sacramentorum, ut fatetur Molinæus, *ibi f. 482.* Nihil ergo concludit. Sed hæc excursu satis; altiùs in meis lucubrationi*bus* ubi res integrè agitatur. Itaque Laicus ferre nequit leges substantiam matrimoniorum tangentes. Ubi contractus matrimonii ex lege divina substinetur, non potest lex humana, & Principum ei obsistere, vel illud dissolvere, ut nec lex humana potest violare divinam, *cap. 1. & 2. ac seq. dist. si quis*, inquit Paulus, *ad Galat. aliud vobis prædicaverit Evangelium anathema sit*. Mittimus hic quæ Theodorus Beza *de repudiis* scripsit, quæque Archiep. Spalatensis de *Rep. Christ. lib. 5. c. 11.* congessit, & quæ ab eodem Launooius mutuatus est, *lib. cui tit. Reg. in matr. pot. st.* quos satis redarguit Antonymus *obser. in d. lib.* Prædictæ legea temporum necessitati indulgendæ, quibus etiam Imperator Græcorum habebatur ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης, ut dicit adulator Archiepiscopus Bulgariæ Demetrius Chomatenus, propter unctionis sacræ vim. *Theod. Balsam. in Medit. de Patriarch.* ad instar Hebræorum Regum, qui eo unguento delibuti, quod Moses jussus est conficere ex illis aromatibus, quæ Maymonides describit, *in Halacha Cele Hammis Kdesch in cap. 1.* venerabiles in terris, ac commercia cum Numine in cœlis habere censebantur. Profitebantur Græci Imperatorem nec legibus, nec canonibus teneri; sed & leges, & Canones illi subjiciebant, *Balsam. in cap. 16. Conc. Carthag.* Notat Marca, *de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 2. cap. 8. §. 8.* vix ullam proferri posse Constitutionem Principum de Ritibus, Cæremoniis, Sacramentis, Clerique Censura lata ex mero potestatis imperio. Secutas, inquit, in hac parte leges publicas conciliorum canones, & Pontificum decreta, sed non antecessisse. Verùm quis canon, quod Pontificium decretum antecessit, legibus prædictis viro repudium, novumque connubium permittentibua, si uxor cum viris convivio, vel lauraco fuerit? Qua autoritate Imp. Justinianus non solùm nuptias Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris interdixit, sed eas etiam irritas declaravit, *l. 45. C. de Episc.* si Synodus Ancyrana eisdem nuptias indulxit, *c. 9.* easque Ecclesiastica traditio approbavit; ac recentioribus temporibus per Orientem obtinebat constitutio, ut sacerdotibus biennium ad perficiendum conjugum præstitueretur, quam consuetudinem sustulit Leo Imp. *Novell. 3. Vide Gothofr. ibi.* Censeo Imperatores, penes quos pars illa juris sine contro-

versia

versa erat, *Bell. cit. à Marca. d. l. c. 9. §. 3.* utpote ea, ex qua Pax, & tranquillitas Reipublicæ, & bonorum, & hæreditatum, imò etiam Regnorum dominia, & successiones consequuntur, *Spalat. d. lib. 5. c. 11. n. 5.* antedictas maritales leges tulisse jure proprio, ut notavit, Gothofredus, *ad d. leg. 1. & 2. C. de repud.* Sacra connubia cæteris omnibus contractibus infirmiora facientes, populorum libidini indulgentes, publico bono, ne in pejora ruerent effrænes, *Barbos. ff. de solut. matr. 2. p. rubr. à num.* 10. *ad* 17. juxtà doctrinam Chrysostomi *hom. 32. super cap. 19. Matth. permittimus*, inquit, *quod nolentes indulgemus, quia pravam hominum voluntatem ad plenum prohibere non possumus. Permittitur ergo fieri mala, ne fiant pejora*, refertur *in cap. hac ratione 32. quæst. 1.* quæ consona est Nazianzeno, *in carm. de laud. Virg.* Solùm dicti Imperatores cœlibatus rigidi patroni in executionem *can. 48. VI. Synod.* quæ hac in re prima fuit, *Vid. Bevereg. in c. 48. d. Synod.* quoties agertur de prohibendo Pontificibus, post consecrationem, uxorum usu, eas tonsuratas monasticæ addicientes, *Const. Isaac Angeli*. Ante siquidem licebat Episcopis, etiam post dignitatem Episcopalem, uxores habere, quemadmodum eas habent, qui post matrimonium ordinantur Subdiaconi, seu Diaconi: *πρὸ τῆς, ς΄, συνόδου τῆς ἐν τῷ τρούλλῳ τοῦ παλατίου γενομένης ἐξὸν τοὺς ἐπισκόπους ἔχειν γυναῖκας κατὰ μὲν τὸ ἐπισκοπικὸν ἀξίωμα, ὥσπερ ἔχουσι, καὶ οἱ μετὰ τὸν γάμον χειροτονούμενοι ἱερεῖς, ἢ Διάκονοι*, *Balsam. ad c. 4. Apost.* Hic facilè intelligis, emarcuisse Novellam Justiniani, qua eligi vetebantur Episcopi, quibus uxor esset, & liberi; tametsi in Basilicis radiaret; contrà autem viguisse contrariam Leonis Philosophi Novellam, *Tomass. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. lib. 1. c. 8. n. 11.* quamvis in canonibus Apostolorum legatur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis non abjicito, si abjicit, segregatur à communione, si perseverat, deponitur. c. 5.* Hæc argumenta sunt indissolubilitatis sacri conjugalis nexus. Hic obiter fas sit notare diversam juris actionem apud Græcos. Uxor illius, qui monasticam profitebatur, alteri nubere poterat; uxor verò illius, qui infulis Episcopalibus decorabatur, cœlibem vitam agere cogebatur, *c. 48. sent. Synod. relat. à Matth. 99. & caus. matr. Tomass. cit. n. x.* Quænam ratio hujus juris diversitatis? Indissolubilis est sacer nexus, & solum fato solubilis. Cur ergo uxor Episcopi cœlebs manet, uxor verò Monachi libera fit, aliisque nuptiis implicatur? Quia professio monachatus solitudini studebat, & professus

pro mortuo censebatur, *Justinian. Novell.* 22. *c.* 5. injuria tamen sacri vinculi. Nec arridet excusatio, quam tradit ibi Barbosa, scilicet matrimonii indissolubilitatem non ita rectè in primitiva Ecclesia intellectam, quin liceret ex legitima causa, apud Episcopos probata, libellum repudii dare. Quia, ultrà quæ supra attulimus, indissolubilitatem conjugalis nexus, non minùs Numinis lex, quàm Christi Evangelium demonstrabat, explicabatque Apostolus. Ideò ignorantia non admittenda, *leg. juris ignorantia C. qui admitti l.* 1. *de jur. & fact. ignorant.* Sed qui ignorat, ignoratur, *cap. ideò §. ut itaque* 37. *dist.* 1. quemadmodum leges generales ab omnibus sciri debent, *l. leges ut generales, & l. leges sacratissimæ C. de leg.* Audienda excusatio, quam pro dictis Imperatoriis Constitutionibus affert Seldenus *d. l.* 3. *c.* 3. *t.* Sanctiones illæ, inquit, Constantinianæ planè Pontificiæ fuere. Nam ut decessores, sic ille Pontifex erat Maximus I. rebus sacris arbiter summus; idque tam antè, quàm post Christianismum uti, & successores usque ad Gratianum Imp. Anglica Seldeni sententia. De Pontificatu Imperatorum usque ad Gratianum alibi. Satis hic lectorem remittere ad Baron. *ann. tom.* 3. *f. m.* 25. Mores populorum, ut infrà dicemus, culpandi sunt, apud quos semel placita, pro æternis servata, quibus, non errore Imperatores repudia indulxere, legesve tulere, quas nec Po: ferre potuisset, aut posset, minusque approbare, *Sanchez de matr. l. x. de divort. disput.* 2. *n.* 10. *Tolos. de Sponsal. lib.* 4. *Decret. tit.* 1. *num.* 75.

XXXI. Hinc obiter fas sit inquirere, cur Orientis Impp. super sacri conjugalis vinculi solutione, quod rem sacratissimam dicit, *Gloss. Marg. ad c. cùm initiatur* 27. *q.* 2. seu sacrosanctam, & spiritualem, *l. si filius ff. de rit. nupt. l.* 3. *§. si filii. de contr. tab.* leges tulerint, præcipuè cùm in sacras solemnitates connubiales, quæ indissolubilitatem conjugalis nexus, proclamabant, confirmabantque pia æmulatione, & canones, & leges conspiraverint? Apud Græcos siquidem in celebratione conjugiorum præscribuntur Paranymphi, & coronationes sponsorum (quæ ab Hebræis habuere, *Gemar. Babyl. ad tit. Sotæ c.* 9. *Gemar. Hierosolym. ad tit. Cathuboth c.* 1. *Job c.* 7. 8. 10.) ac preces, sine quibus nefas connubialia sacra peragere, *Attalist. Synops. part. tit.* 95. oblationes, benedictionesque, de quibus Ευχολόγιον, seu Rituale, *fol.* 384. *apud Gobar*, quasve enumerat Evaristus Græcus Pontifex, qui Ecclesiam rexit anno 109. Nicolaus Po: Leo Po: & Concilium Carthaginense IV. *c.* 1. 2. 3.

1. 2. 3. *&* 4. *can.* 30. *q.* 5. easque semper publicas, & in Ecclesia, *ex Novell. Justinian.* 75. *Alex. Comn. lib.* 2. *Juris Græco-Rom.* juxtà Imp. Leonis præscriptum, *d. Novell.* 89. *in Basilicis*, quibus decreta poena secus facientibus, μηδεὶς μυστικῶς στεφανούσθω. *Nullus secretò coronatur &c. Novell. Imp. Basil.* §. 4. *pen. Leuncl. Jus Græco-Rom. fol. m.* 87. Formam conjugiorum Orientis, tradit Justinianus Imp. *Novell.* 73. *cap.* 10. *Si volueris legitimè uxori copulari, & non facere nuptialia documenta: Non sic quomodocumque, & sine cautela, effusè, & sine probatione hoc agat, sed veniat ad quandam orationis domum, & fateatur Sanctissimæ illius Ecclesiæ defensori; ille autem adhibens tres, aut quatuor, exinde Rev. Clericorum attestationem conficiat declarantem, quia sub illa indictione, illo mense, illa die, illo Imperii nostri anno, consule illo venerunt apud eum, in illam orationis Domum ille, & illa, & conjuncti sunt alterutri, & hujusmodi protestationem siquidem accipere volunt, aut ambo convenientes, aut alteruter eorum hoc agant, & subscribant ei, & Sanctiss. Ecclesiæ Defensor, & reliqui tres, aut quotcumque voluerint, non tamen minùs trium literis hoc significantibus. Si verò etiam hoc illi non egerint, ille tamen talem reponat chartam Ven. illius Ecclesiæ Defensor in ejusdem Sanctiss. Ecclesiæ Archivio, hoc est ubi Ven. Vasa servantur, prædictas subscriptiones habentem, ut reconditum sit omnibus, ex hoc munimen, & non aliter videantur nuptiali affectu eosdem convenisse, nisi tale aliquid agatur, & omninò literis causa testimonium habent. His ita gestis, & nuptias, ac ex eis sobolem esse legitimam.* Ad hanc legem videntur Patres Tridentini, *sess.* 24. *de reform. c.* 1. respexisse post x. circiter secula, occurrendo iisdem malis, quæ in Oriente sub Justiniano Imp. invaluerant. Hinc non garriendum ab Etherodoxis in d. canonem. His attentis Græcia clandestina, seu furtiva, in quibus patrius ritus non servatur, conjugia ignoravit, in quæ Orientis exemplo, Ro: Ecclesia ad petitionem Regis Galliarum, *Pallav. lib.* 22. *Hist. Concil. Trident. c.* 1. *n.* 16. insurrexit, *Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 1. Sacrosanctum hac in re dici potest Tridentinum Decretum, & jure furtivas illas conjunctiones patriis institutis non servatis, nec aliis solemnibus publicè adhibitis potiùs adulteria, seu stupra præsumit, quàm conjugia, *gloss. in c.* t. 30. *q.* 5. 1. *c. illud verb. dop. quapt.* Si publica, & solemnia sacra erant Nuptiarum apud Hebræos, ut diximus, & apud Gentes, ut mox dicemus, cur non apud Christianos? Nuptiæ apud

Romanos niſi auſpicato celebrabantur.; Auſpices enim apud eoſdem aſciti pro nuptiis auſpicium capiebant, iiſque celebrandis præerant, *Vella lib. 6. Vid. Cic. de Divina. Valer. Max. lib. 2. c. 1.* Hinc etiam nuptiales quinque Dii dicti, quos in connubiis ex ritu invocabant, ut Plutar. refert, & Girald. in comm. de Diis Gent. *l. 3. c. ult.* Nihilominus ſuper Eccleſiæ Sacramento tam ſolemniter celebrato pii Impp. juris publici duxerunt ſancire; Dicam quod ſentio. Sicut qui vel ex Hebræis, vel Paganis Chriſto nomen primo ævo dabant avitos mores circa repudia retinebant, *Seld. d. l.* ita judicia, & leges. Quare cum Hebræis, apud γερουσίαν; Athenienſes, apud Archontem, ſeu ſupremum Magiſtratum, Romani apud Cenſores repudii agitaretur cauſa; ſic Chriſtiani rem ſacram Imperatorum imperio ſubjecere. Hinc Imperialibus Conſtitutionibus habebantur in Foro deciſiones repudiatoriæ, hiſque infirmabantur, vel confirmabantur repudia, *Conſt. Harmen. Epit. ſect. 5. tit. 2. 3. & 6. ſect. Juris Græco-Rom. lib. 5. p. 23. 310. 709. & 507.* Horrenda inclamat Baronius *ad ann. 566. n. 15.* quæ per Epiſcopos prohiberi, ne fierent, debuerant, & jam facta reſcindi. Et quidem mirum eſt, ut diximus, quod in quatuor illis celeberrimis œcumenicis Conciliis, Nicæno primo, ſub Conſtant. M. ann. 325. CPño I. ſub Theod. M. an. 381. Epheſino ſub Theod. Jun. an. 431. & Chalcedonenſe ſub Martiano ann. 441. nihil omninò actum fuerit in hac graviſſima re circa repudia, vel reſiſtendo iis, quæ ſtatuta, ſive permiſſa erant legibus illis Conſtantinianis, Theodoſianis, & Valentinianis, moribuſque Orientis, vel decernendo, & publicando, quæ à ſacris literis pronunciata, & præſcripta erant. Solùm Africani Patres in Concilio Milevitano ann. C. 402. coacto Arcadio, & Honorio Auguſtis in repudia legem Imperialem petunt: *Placuit, ut ſecundùm Evangelicam* (Matth. 19.) *& Apoſtolicam* (1. Cor. 7.) *diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungatur, ſed ita remaneant, donec reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua Cauſa LEGEM IMPERIALEM PETENDAM PROMULGARI, can. 17. apud Caranz. & tit. 12. Concil. relat. in c. placuit 32. q. 7.* ubi Gratianus more ſuo ommiſit prædicta verba: *In qua cauſa &c.* Ex quibus Chemnitius *in examine Can. 7. ſeſs. 24. Conc. Trid.* probat uſque ad illa tempora non fuiſſe latam legem in dicta repudia, idemque docuit Launojus, *d. l. p. 77.* ſed reverà Patres Affricani in dicto Canone legem ſubſidiariam petunt ad favorem, & executio-

ecutionem Evangelicæ, & Apostolicæ disciplinæ in ejusdem contemptores, scilicet, ut imperator in illos pœnam exilii, vel deportationis, aut aliam decernet, *Anonym. in Lauro. obser. 5.* Falsum verò, & apertissimè est quod Lavonius ibi scribit: *Ad Imperatorem confugiunt, & ab eo petendum esse judicant, ut quod ipsi facere nequeunt, faciat; nempè legem ferat, qua vetatur, ne dimissus ab uxore, ac dimissa à marito conjungantur alteri, sed ita permaneant, aut sibi reconcilientur*. Falsum. Jam Christus tulerat, jam Apostolus promulgaverat dictam legem, cujus executio ab utroque Ecclesiæ commendata est. Hinc rejicimus glossam Arnisæi existimantis Patres Africanos decrevisse impetrandam Imperialem legem sancientem, haud fas esse dimisso ab uxore, aut dimissæ à viro alias nuptias inire; nisi addas in subsidium, ad sanciendum imperiali enim lege opus non erat, ut dictum est, ubi Christi lex satis aperta est; præcipuè cùm in dicto canone non de dimissis ex causa adulterii dumtaxat; sed de quacunque dimissione, ex quacunque causa, seu colore ageretur. Ulterius gratiosum est commentum ejusdem Arnisæi ubi habet: numquam tamen Imp. huc descendere, & Pontificium placitum publica lege confirmare voluerunt. Sed de hoc diximus.

XXXII. Et non solùm Orientis impp. præfatas connubiales leges tulere sed inclinante maximè in Occidente Ro. Imperio, Gothi. VVisigothi, Franci, Burgundi, Britanni, Angli, Scoti, & Hiberni, exemplar à Græcis mutuati sunt, illudque pro nationum moribus, aliter, atque aliter, seriùs, ac citiùs suis legibus inseruere. Theodosius Ostrogothorum Rex, qui regnavit Anastasio, & Justino Coss. sub anno C. 500. Constantinianam hac in re Constitutionem transcripsit, *leg. Ostrog. c. 54.* Euricus VVisigothorum Rex interdicit anno C. 460. *Sub quocunque argumento* divortia, excepta fornicationis causa manifesta, *Leg. VVisig. lib. 3. tit. 6. c. 1.* Apud antiquos Francos planè liber viguit mos priscus divertendi ex conjugum consensu, *Marcul. Monac. lib. 2. form. 30.* Inter Burgundos uxori planè divort. denegatum; si qua mulier maritum suum, cui legitimè juncta est, dimiserit, necetur in luto, *leg. Burg. c. 34.* Postmodum sub anno C. 820. imperantibus Carolo M. & Ludovico Pio receptæ sunt inter Occidentalis imperii leges, sanctiones Pontificiæ, etiam de divortiis; *nec uxorem à viro dimissam, alium accipere virum, vivente viro, nec virum accipere aliam uxorem vivente priore uxore. Capit. Carol. & Ludov. lib. 1. c. 43. lib. 6. c. 63. & lib. 7. c. 55. ex Conc. Afric.* Apud Cambro-Britannos extabat Regis

Boni

Boni lex de repudiis lata sub anno C. 940. *Si qua mulier rem turpem cum alio viro, vel osculo, vel manu, vel stupro egerit de jure potest repudiari à viro suo, & omnia jura debet ammittere, etiam pro solo osculo, nedum pro aliis, Cod. MS. in Bibli Cotton. & in Conc. Orb. Britan. ad Hem. Spelm. edit. p. 410. relat. per Seld. d. l.* Apud Anglos item Pontificiæ Constitutiones circa divortia receptæ, *Greg. I. lib. 12. Epist. 32. Bed. Hist. Angl. lib. 2. Bracton. lib. 4. de act. dot. c. 8.* Inter Scotos, & Hibernos licentia divortiorum infanda, *Baron. tom. 11. ad ann. .. n. 11. 13. 16. & 49.* ubi maximè inter sylvestres etiam transacto seculo liberior divertendi, solvendique matrimonii mos duravit, *Camden. p 765. & 791.* Cæterùm sicut Imperatores ex moribus, ritibusque Judaici populi, Gentiumque suas constitutiones composuerunt, ita Ecclesia ab iis, quæ rudera collapsæ repudiantis antiquitatis dici possunt, plures causas repudio præscriptas mutuata est, ut divortio quoad thorum, seu perpetuò, seu ad tempus locum daret, *P. Ærod. d. l. 4. tit. 17. c. 2.*

XXXIII. Itaque missis, quæ ex civilibus legibus, quoad repudia decreta sunt, utpotè, quæ facto suo, seu divina luce periere, *Tolosan. d. l. num. 35. & seq.* redeamus ad Ecclesiam. Defendit jus conjugis innocentis. D. Augustinus, *lib. 1. c. 19.* De præcepto, inquit, quo prohibetur uxor non dimitti, nisi propter fornicationem, hìc quidem scrupulosissimè disputant. Sed cùm velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem, utrum eam, quæ damnatur in stupris, an illa, de qua dicitur: *Perdidisti omnem, qui fornicatur abs te, Psal. 72. 27.* In qua utique, ut illa est (neque enim non fornicatur à Domino, qui tollens membra Christi facit ea membra meretricis) etiam, atque etiam cogitandum est, atque requisendum. Nec volo in re tanta, tanquam ad dignoscendum difficili, putare lectorem istam sibi nostram disputationem sufficere. Sed legat, & alia, sive nostra, quæ postea scripta sunt, sive aliorum meliùs considerata, atque tractata, vel per se potest ea, quæ hìc meritò possunt movere, vigilantiore mente discutiat. Non quia omne peccatum fornicatio est (neque enim omnem peccantem perdit Deus, qui quotidie Sanctos suos exaudit, dicentes dimitte nobis debita nostra) cùm perdat omnem, qui fornicatus ab eo. Sed quatenus intelligenda, atque eliminanda sit hæc fornicatio, & utrum etiam propter haoc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est. Licere autem propter illam, quæ in stupris committitur, nulla quæstio est. Et

ubi

ubi dixi hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam Scripturam, *Prov.* 18. dicentem: *qui tenet adulteram stultus, & impius est*. Hæc Augustini sententia in moribus fuit per Hispanias. Nam in Concilio Toletano XII. habitum circa tempora Agathonis Papæ, seu Leonis P. II. qui anno C. 682. Ecclesiam rexit, ita definitum, c. 8. reperitur. *Præceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis uxor à viro dimitti non debeat; Et ideò quicumque citra culpam criminis supradicti, uxorem suam quacumque occasione dimiserit, quia quos Deus junxit, ille separare disposuit: tamdiu ab Ecclesiastica communione privatus, & à cætu omnium Christianorum maneat alienus, quamdiu societatem relictæ conjugis sinceriter amplectatur, & foveat.* refert. *ab Ivo. lib. 7. & in c. 21. cap. 32. quæst. 5. à Grat.* Hac in sententia Anglia prævivit Hispaniæ. Nam in Concilio Anglicano anno 673. *canon.* x. habetur. *Nullus conjugem propriam, nisi, ut sanctum Evangelium docet, Fornicationis causa relinquat*. Hanc sequitur Theodoretus *Græc. affect. cur. serm. 9.* μίαν δὲ μόνην ἀφορμὴν διαλύσεως ἔδωκε τὴν ἀ-λλοῦς διαπῶσαν τὴν ζεύγην, *sol. i matrimonium vetat, unam vero hujus dirimendi causam assignavit eam, quæ maritalem copulam verè divellit: omnis enim ait, qui dimittit uxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat; ideircò cætera uxoris vitia ferri jubet, seu loquax fit illa, seu temulenta, seu convitiosa,* οὐδὲ τῷ γάμῳ παραλύουσι τοὺς νόμους, ἢ πρὸς ἕτερον τηνικαῦτα λύειν κελεύει τὴν ζεύγην. Si verò nuptiarum leges transiliat, in aliumque procax intendat, tunc demum copulam solvi iubet. In hunc sensum collimare videtur S. Epiphanius. *ad l. Hæref. lucv. 2. t. 1. hæref. 59.* οὐδὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεῖσθαι τελευτησάσῃ ἕνεκέν τινος προφάσεως πορνείας καὶ μοιχείας αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου συναφθῆναι δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ ἡ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρὶ οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐ δὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει ἐπὶ τὸ χῆμα ἔτι περιούσης τῆς μιᾶς, ἀποχιζόμενος ἀκηρυκτα, εἰ τελοῖεν νόμῳ συναφθῆναι ἔλεος ὁ ἅγιος καὶ ἡ ἁγία Θεοῦ ἐκκλησία, *quia una contentus non est uxore, qua destituitur occasione aliqua stupri, adulteriique, aut alterius flagitii, divortio facto ducentem alteram conjugem, aut mulierem alteri viro nubentem non damnat sermo divinus, sed ab omni culpa absolvit, neque ab Ecclesia, aut vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandam existimat: non ita tamen, ut duas, altera superstite, uxores simul habeat; sed ut ab una separatus alteram sibi legitimè, si lubet, adjungat: quamobrem erga hujusmodi hominem*

tam

tam Divinus sermo, quàm Dei Ecclesia misericordiam adhibet.

XXXIV. Erravit, ut non fuit fidelis interpres Epiphanii Janus Cornarius, qui sic vertit: *Qui verò non potuit una mortua contentus esse, ob aliquam scortationem, aut adulterium, aut separationem, ob aliquam causam malam facta, eum Divina Scriptura non accusat, si aut vir secundo conjungatur uxori, aut uxor secundo viro, &c.* ubi τῇ τελευτησάσῃ, *mortua* dixit; nam si uxor est mortua, vir solutus est, & aliam ducere potest. Tunc nec aliquid facit, quòd fuerit uxor adultera, nec requiritur separatio. Mors divortium fecit, *auth. de nupt. §. deinceps collat.* 4. Non enim secundæ nuptiæ prohibitæ sunt in sacris literis, nec jure Pontificio improbantur, *tot. tit. de secund. nupt.* imò octavo nubere permissum est, *c. aperiant 31. q. 11. Vide Monf. Venet. Tabl. de l'amour conjug. cl. 3. art. 1.* Verumtamen est, quòd Græca religio secundas nuptias permisit, tertias, & quartas damnavit, πρῶτος γάμος ἐςὶ νόμος, ὁ δεύτερος ἐςὶ συγχώρησις, ὁ τρίτος παρανομία, ὁ τέταρτος χοιρώδης βίος. *Primum matrimonium est lex; secundum permissio; tertium iniquitas; quartum porcinum ex Leo. const. 90. ex Zonar. Diog. & alibi*; adeò ut conjuges quarto se conjugio copulantes sacris interdicerentur, *C. 3. 7. Neoc. Synod. 31. q. 1. de his, qui &c. Basil. ad Amphyl. c. 4. & ibi Balsam. Basil. Mac. Imp. Novell. 1. Leo Novell. 90. & Const. Porphy. Novell. 1. Vide Leunc. d. l. f. 553. Niceph. Carsaph. in resp. ad Theod. Monach. vid. Arcud. lib. 7. c. 27. 28. 29. Concord. P. Jacob. Goar. in* Euχολ *in c. de Bigam. Turria. in addit. ad Const. Apost. Clem. lib. 3. c. 2. & Arnisæ. c. 5. de solut. matr.* sed Janus fortasse usus est *ly mortua* ad demonstrandam vim adulterii, quod quodammodo mori facit adulteram viro; ut sensus sit; qui verò non potuit una uxore contentus esse, quæ ipsi defecit ob aliquam scortationem &c. Hinc est, quòd Epiphanio adscribitur licitum divortium ob adulterium affirmanti, *Covar. citat. num. 13.* Hæc colorem recipiunt non minùs à sacrarum literarum sensu, quàm ab illa Patrum sententia, quæ necessitatem conjugii innocenti adulteram dimittendi imponit, ne stultitiæ, aut impietatis notam incurreret adulteram retinendo, neve patronum turpitudinis se faceret. *Qui meretrici adglutinatur unum cor, & corpus est Paul. I. Cor. 6. Si alterius viri facta fuerit, ad maritum suum non revertatur*, & Salomon *Proverb. qui adulteram habet, stultus est, & impius.* Hæc colligit Basilius relatus per Matthæum Monachum, *quæst. matr.* Ex his ait Clemens

Ro:

Ro: Apo.lol. *Conſt. lib.* 2. Qui retinet eam, quæ legem naturæ violavit, legis violator eſt. Sicut ſcriptum eſt : *qui adulteram retinet, ſtultus, & impius*. Abſcinde eam, inquit, à carnibus tuis, quia non eſt auxiliatrix, quæ mentem ad alium declinavit. D. quoque Hieronymus, *in Matth.* 19. hæc habet : *ſola fornicatio eſt, quæ uxoris vincit affectum: imò cùm illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente ſcriptura, qui adulteram tenet, ſtultus, & impius eſt, refertur à Gratiano in cap.* 232. *quæſt.* 1. Idem ſenſus eſt D. Joannis Chryſoſtomi, *ſuper Matth. cap.* 14. *Sicut crudelis eſt, & iniquus, qui caſtam dimittit uxorem, ſic fatuus eſt, & injuſtus, qui retinet meretricem, Patronus enim turpitudinis eſt, qui celat crimen uxoris cap.* 1. *d. quæſt.* 1. Rationem reddit Chromatius Aquilejenſis Epiſcopus, *in Matth.* 5. *quia ipſa conſortio ſe fecit indignam, quæ in corpus ſuum peccando, Dei templum auſa eſt violare*. Tantuſque erat horror adulterii apud antiquos Patres, ut illum, qui adulteram retinebat, duobus annis pœnitentiæ ſubderent, *cap. ſi quis d. quæſt.* & qui debitum adulteræ reddidiſſet, tribus annis cogebatur pœnitere, & interim abſtinere, *ex pænitent. Theod. in cap. ſi quis* 6. *d. quæſt.* Et adeò exarſit Eliberinum Concilium in adulterii ream, ut Clerico, cujus uxor fuerit mæchata, qui eam ſtatim non projecerit, nec in finem permiſerit communionem: ne ab his, qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, ab eis videantur ſcelerum magiſteria procedere, *can.* 65. Tertullianus, *lib. de pudic. c.* 21. conatur probare ex *Levit.* 13. *verſ.* 57. mæchos relapſos nec ad pœnitentiam eſſe recipiendos.

XXXV. Eccleſiaſticis regulis non obſuere antiquæ, & recentiores leges. Jure veteri Cæſareo uxor in adulterio deprehenſa haud impunè retinenda, *l.* 29. *ff. ad l. Jul. d: adult.* & qui adulterii damnatam, ſi quocunque modo pœnam capitalem evaſerit, ſciens duxerit, vel reduxerit, lege Julia, ex cauſa lenocinii, punitur, *l.* 6. *tit. eod. C.* His Græcorum conſonant recentiores Conſtitutiones, & ſententiæ, *Juſtinian. Novell.* 134. *Baſilic. lib.* 60. *tit.* 37. *Harmen. Prochir. lib.* 4. *tit.* 6. *περὶ μοιχείας Vide Briſſon. ad l. Jul. de adult. verb. damnat. Petr. Ærod. cit. lib.* 8. *c.* 2. Nec abfuit ab hoc ſenſu gentilis vetuſtas, priſcuſque prophanus rigor. Domitianus Aug. ut dictum eſt, Equitem Ro: ob uxorem reductam albo eraſit, & nota affecit, *Suet. in Domit. Alex. lib.* 4. *gen. dier. c.* 8. Claudius Gorgus

vir Clarissimus, quia uxorem adulteram retinuerat lenocinii damnatus est à Divo Severo, *l. 2. §. unde ad l. Jul. de adult.* Relatis Patribus clariori phrasi locutus est Ambrosius, *super Epist. Paul. ad Cor. relat. à Gratian. in cap. uxor Bon. quaest. 7.* Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis: quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur, & vir similiter non dimittat uxorem. Ideò non subdit de viro, quod de uxore præmisit: quia viro licet ducere aliam. Ita Zacharias Po: qui de anno 741. Sedem Apostolicam occupavit, ex adulterio conjugis commisso, cum sorore uxoris dat facultatem innocenti nubendi in Domino, *cap. concubuisti d. quaest.* Nec abfuit etiam ab hoc sensu Concilium Triburiense. Hæc Synodus, quæ provincialis fuit Triburis celebrata tempore Imperii Arnulphi, ab uno, & viginti Episcopis Germanis, ann. Domini 895. ad reformationem morum, non tam Clericorum, sed etiam laicorum, *Reghin. Abb. Prunic. lib. 2. Sigisbertus, & alii* permittit secundò nuptias ex adulterio conjugis, si innocens continere non potest, *cap. 24. 32. quaest. 7.* Imò ex sola infirmitate uxoris, non valentis viro debitum conjugale, reddere permisit Gregor. Jun. scribens Bonifacio Episcopo, transitum ad alias nuptias: *ille*, inquit, *qui non potest continere, nubat magis cap. quod proposuisti d. quaest.* Hucusque allata, & quæ infrà adduntur, cùm Florentiæ à Papa improbaretur Græcis ἡ διάζευξις τῶν ἀνδρογύνων, divortium virorum, & uxorum, *quos Deus conjunxit, homo non separet*, inquit Po: & vos licenter eos separatis ὑμεῖς δὲ ἀδεῶς διαζεύγνυτε αὐτοὺς intrepidum Græcis suffecere responsum τὰ συνοικέσια ἡμῶν οὐ χωρίζονται *nostra connubia absque ratione non dirimuntur; fol. m. 479. t. 3. Concilii,* nec separat homo, quos pœna condamnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat, *cap. quos Deus 33. quaest. 2. Arcud. d. lib. 7. c. 18.* qui testatur, Græcos suos repudia semper retinuisse. Hæc responsio videtur desumpta ab Origene, *in Matth. 19.* qui improbata Episcoporum licentia permittentium adulteris nubere, addit: per licentiam non absque ratione fecere οὐ μὲν παντάλογος. Græcos Abyssinorum Ecclesia imitatur, nova connubia adulteris permittens, exceptis Sacerdotibus, ad instar Hebræorum, & Gentilium, *Alvar. cap. 21.* Hos sequuntur Moscovitæ, Georgiani, Circassi, *Simon. de cærem. Jud.* Notandi sunt Ruthenorum mores, quibus facilè Episcopi repudii literas dant. Cùm enim uxor, & vir sibi solùm utrinque displicent, tum in trivio ambo prodire solent, acceptoque mantili, quod manibus tenent, discindunt, hocque inter se

divifo matrimonium etiam inter fe divifum effe putant, & uxori repudiatæ vir dicere folet: *Vade tu hac, ego illac pergam. Jo. Fabr. de Rep. Mofcovit. f. m. 122. Jo: Sacran. in elucid. error. Rit. Ruthen. c. 2. n. 37.* His affentiuntur Melchitæ, & Cophti recentiores, ut teftatur Naironus *Evpol. p. 2. f. m. 252.* Difcordant Jacobitæ, apud quos, etfi repudium caufa adulterii, vel magiæ, vel abnegationis fidei, vel fervitutis, & captivitatis, vel morbi impedientis copulam concedatur, *Daniel Huth. Jacobita in Epift. cap. 7. fect. 2.* non tamen fecundæ nuptiæ, conjuge fuperftite, permittuntur, *Timoth. Præful. Alexandrin. in refp. ad quæft. 14.*

ܡܢ ܒܬܪ ܕܗܘܐ ܐܣܘܪܐ ܒܙܘܘܓܐ ܠܝܬ
ܥܠܬܐ ܠܫܘܪܝܐ ܓܡܝܪܐ ܐܠܐ ܠܙܢܝܘܬܐ ܘܚܪܫܘܬܐ
ܟܠ ܡܢ ܕܫܒܩ ܐܢܬܬܗ ܣܛܪ ܡܢ ܥܠܬܐ ܕܙܢܝܘܬܐ
ܓܐܪ. ܘܗܟܢܐ ܟܠ ܐܢܬܬܐ ܕܫܒܩܐ ܠܒܥܠܗ
ܣܛܪ ܡܢ ܥܠܬܐ ܓܐܪܐ. ܘܠܐ ܠܓܒܪܐ ܘܠܐ ܠܐܢܬܬܐ
ܕܫܒܩܝܢ ܚܕܕܐ ܒܥܠܬܐ ܘܠܐ ܒܥܠܬܐ
ܕܙܢܝܘܬܐ ܘܚܪܫܘܬܐ ܫܠܝܛ ܕܢܗܘܐ ܠܗܘܢ
ܙܘܘܓܐ ܬܢܝܢܐ ܐܠܐ ܐܢ ܚܕ ܡܢܗܘܢ ܢܡܘܬ.

Poftquam per matrimonium vinculum fit, non eft caufa omninò folutionis, præter fornicationem, & magiam, quicumque enim dimittet uxorem, præter caufam fornicationis, mœchatur, & fimiliter quæcunque mulier dimiferit virum fuum, extra fornicationem, mœchatur. Neque viro, neque mulieri relinquentibus fe mutuò ob caufam, aut fine caufa fornicationis, & magiæ permiffum eft matrimonium fecundum, nifi eorum aliquis moriatur. Nec ab his diffentit Cophtici juris Commentator Benhaffalius, *cap. 10.*

لا يمكن انفصال اتصال الاعضا الطبيعيـــة والجيزة

lis creatus paulò ante primam Concilii Indictionem à Paulo III. scribens, *in Matth. 19.* dicit; non convinci Ambrosii sententiam aliqua Ecclesiæ autoritate, quæ hanc definiverit quæstionem, & Decretales in ea loquentes decisiones fuisse in causis Judicialibus. Intelligo igitur, inquit, ex hac L.C. lege licitum esse Christiano dimittere uxorem, ob fornicationem ipsius uxoris, & posse ducere aliam, salva semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Alter est Catharinus Compsæ Archiepiscopus Cajetani, & Ambrosii defensor *in 5. annot. volum.* Rem, inquit, impendio duram, & iniquam, ut vir innoxius, interim ætate virens, & in venerem proclivis, nullo suo delicto, imò ex aliena culpa, & in se ipsum illata injuria, cogatur mutare statum, & perpetuò cœlibem, & luctuosam ducere vitam, libidinis incendio, & orbitatis moiestia conjunctam, cùm nec sit fas cum altera conjungi, nec appetere aliam, addens, *cap. ult. lib. 5. contr. Cajetan.* non tam viro licere aliam ducere uxorem, propria uxore dimissa ex causa fornicationis, sed & ipsi uxori alteri nubere, viro proprio, ob eandem causam dimisso. Concordat Catharinus cum Calvino in hoc, quòd hic tyrannicam legem, ille rem iniquam, & duram vocet legem, & Evangelium.

XXXVII. Ex moribus populorum, ex constitutionibus Imperatorum, ex Principum edictis, decretisque, ac ex Patrum sententiis suprà allatis penes omnes nationes pessima repudiorum exempla. Constantinus VI. Imperator Mariam ab Amnia Armenam uxorem repudiavit, eaque in monasterium relegata, Theodatam cubiculariam uxorem duxit, *Paul. Diacon. Zonaras, & Cedrenus*. Stephanus Triballorum Princeps Eudociam Alexii Angeli Byzantini Imperatoris filiam, objecto primùm uxoris libidinis pruritu, deindè adulterio, repudiavit, eamque omni vestitu muliebri spoliatam, ut vix pudendas partes tegere posset, abire jussit, *Nicet. lib. 3.* Vertigerius rex Britannorum repudiata uxore, Ronicem Hengisti Saxonum Ducis filiam duxit, captus, & forma, & virtute puellæ, *Polyd. lib. 3.* Thibertus Clovis nepos repudiavit uxorem, & Deuteriam Præfecti Biiterræ Septimanorum uxorem duxit, quam postea repudiavit, *Mezera. in Childb.* Pipinus Palatii Magister Plectrude repudiata, duxit Aphleidem, ex qua suscepit Carolum Martellum, *idem in Dagob.* Carolus Magnus Irmengerdam filiam desiderii Italiæ regis, post annum connubii, quòd infœcunda esset, sententia Pontificum repudiavit, *Avent. lib. 4. Hm. Hist. Franc. lib. 4. c. 6. Eginard. in vit. Carol. M.* Lotharius Lotharis Imperatoris filius, Guntario

rio Agrippinensium, & Tergando Trevirorum Episcopis annuentibus, Terlergam uxorem fornicationis ante sponsalia commissæ causa, aut obtentu repudiavit, Valdradamque florentissima ætate, specieque egregia duxit, *Nicol. P. relat. in c. scelus 2. q. 1. Regin. lib. 2. Æmil. lib. 3.* Ludovicus Balbus Imperator Ansgardam sibi conjugii fœdere copulavit, quam Carolus Calvus Pater repudiare coegit, eique in matrimonium dedit Adhelheidam, *Regi. lib. 2. Cuspinianus*. Henricus III. Imperaror uxorem primam Cunegundam regis Anglorum Cynitonis filiam, ob suspicionem adulterii repudiavit, *Cuspin.* Robertus, cognomento Frissius, primò duxit Privignam Philippi regis Francorum, ex qua Ludovicum procreavit. Ea verò postea ob corporis obesitatem repudiata, filiam Andegavensis Comitis sibi matrimonio conjunxit, *Malmesbur. lib. 3. cap. 30.* Adela Ludovici Gallorum regis filia à Ricardo Anglo, ob suspicionem violatæ virginitatis repudiata fuit, *Polyd. lib. 13. & 14. & Lod. vi. de offic. mariti*. Non deerant exempla domestica hujusmodi matrimoniorum, ob sterilitatem, cognationem, mores, aliasque justas causas, publicam tranquillitatem spectantes, summo Regni bono, dissolutorum, inquit Thuan. *lib.* 123. agens de divortio Henrici IV. Orhacarus Boemiæ Rex Margaritam sororem Friderici Ducis Austriæ, dote potiùs, quàm ætate, & spe prolis adductus duxit. Sed is alteram superinduxit regis Moscoviæ filiam Kennigundim, *Bonfin. lib. 8. Dec. 2. & Hen. Syl. c. 28. Boen.* Jacoba Bavara Hollandiæ Domina ann. 1426. repudiato marito Joanne Brabantio, ad Hunfundem Glovestriæ Ducem Henrici V. Regis Angliæ fratrem, animum inclinavit, *Thys. in Hist. Naval. c. 7.* Botueles Comes divortium cum Godonia facto ob adulterium, Scotiæ Reginam duxit, *Thuan. l.* Joanna in Apulia Regina abjecto Joanne Aragonio Majoricæ, & Minoricæ Rege, Otboni Brusvicensi nupsit, *Theod. à Niam. lib. 1. de schis. c. 24. & 37.* Petrus Candianus Venetorum Dux, cum uxore divortium fecit, causatus gravem illius ætatem, per quam ampliùs parere non posset; nec multò post VValdredam Guidonis Spoletani, Italiæ regis à Longobardis proclamati, filiam duxit uxorem, *Hist. Serenss. Dandul. Sabell. lib. 2. Enn. 9.* Casimirus II. Polonorum rex, uxorem Heduigim Henrici Hessorum regis filiam ob deformitatem repudiavit, *Cromer. lib. 12. & 13.* David Brusius Scotorum rex uxorem accepit Margaritam filiam Joannis Logi equiti auratis virginem, omnes sua ætate forma excellentem, eamque paulò post repudiavit, cùm nullam ex ea prolem speraret,

H. Boe-

H. Boetius lib. 15. Basilius Moscovitarum Princeps Salomen, quam ex MD. virginibus unam elegerat ob prætensam sterilitatem in monasterium detrusit, & Helenam Ducis Glinscii filiam superinduxit, *Sigis. Bar. in Histor. Musco*. Item Basilides matrimonium cum nobilibus aliquot puellis semel, iterumque repetiit, easque ni intrà menses aliquot prolem conciperent in monasterium detrusit, *Daniel Printz de succes. Mosc.* Griffina Ducissa Brussorum, ut vult Duglosus, Ducis filia, accusata viri Lesci (proh pudor!) frigiditate, ab ipso abiit, & fortiorem venerem conjugalem sibi elegit, *Crem. lib.* 4. Divortia Principum claudamus. Ludovicus XII. Galliarum Rex Joannam conjugem sterilem, & monstrosam sororem Caroli IX. repudiavit, & Annam Britannicam duxit anno 1498. Satis sit scire hoc repudium insigne opus fuisse Cæsaris Borgiæ filii Alexandri VI. ex Cardinali, & Valentiæ Archiepiscopo Militis, & Ducis, *Vid. Guiciard. lib.* 4. *f. m.* 109. Quales fuerint subditorum populorum mores, circa repudia transacto ævo, ex Principum exemplo arguas.

XXXVIII. Restituere nihilominus aliquando Pontifices, etiam Regum libidinibus; nam Nicolaus Po: Lotharium communione piorum interdixit, & Episcopi, quòd connubium diremissent, è gradu dignitatis dejecti sunt. Ad iram Pontificis deprecandam Lotharius Romam profectus, in reditu decessit, *d. c. scelus* 2. *q.* 1. *Æmil. lib.* 3. Philippus I. Francorum rex uxorem Bertam repudiavit, Bertrandamque sibi thoro junxit, coactus tamen, pellice dimissa, uxorem reducere, cùm S. Po. Urbanus aqua, & igni ei interdixisset, *Æmilius lib.* 3. Philippus II. Francorum rex uxorem Ingelbergam Dani regis sororem dimisit, ac Mariam Ducis Moraviæ, seu Boemiæ filiam superinduxit. Dano rege, per oratores apud Po. Max. agente, duo amplissimi ordinis patres in Galliam legati venere, regique denuntiavere, ut à consuetudine Mariæ temperaret, quia dicto non parebat, decretum, ut Franciæ interdiceretur, *Æm. l.* 6. *Bitius l.* 2. *Reg. Franc. Gaguin. lib.* 6. *Roger. de Hoved. Annal. ad Riccard. I.* Rodulfus Viromandorum Comes, Justa uxore repudiata, Petronillam sororem Reginæ Leonoræ Ludovici Junioris Francorum regis uxoris, auspicibus aliquot Episcoporum, matrimonii nomine duxerat. Sed Episcopis divortii autoribus sacrificii, & Rodulfo simul, & Petronillæ aqua, & igni interdictum. *Hemil. lib.* 5. His tamen omnibus reclamat veritas, negatque sacrarum literarum voce innocenti conjugi jus ad alias nuptias, superstite prima uxore, ex quacunque causa. Legimus, *Marc. x. num.* 9. ὃς ἐὰν

ἀπυ-

ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην γυναῖκα ἐπ' αὐτήν; καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ μοιχᾶται, *quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super illam, & si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur*. *Ita Luc. cap. 16. num. 18.* πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμῶν ἑτέραν μοιχεύει, *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*. Hic Christus loquitur simpliciter, & universaliter absque exceptione, ut observat Pighius, *d. controv.* & absolutè loquuntur Apostoli: *Si quis laicus, sua ejecta uxore, aliam acceperit, vel ab alio solutam ἀγάγῃ Et communione privetur, Can. 4. Apost.* Rationem reddit Christus, *Matth. 19.* ex indissolubilitate nexus maritalis, ac ex arctissima conglutinatione conjugum, Numinis præcepto, non nisi morte diluenda; Explicat Clemens Ro: Apost. Constit. *lib. 6. cap. 14. Quæ Deus conjunxit, homo non separet; uxor enim consors vitæ est ex duobus in unum corpus à Deo copulata; qui autem unum rursus in duo dirimit, inimicus est operis Dei, & providentiæ ejus adversarius*. Et adeò efficax est viri, & mulieris conjunctio, ut vir sui corporis non habeat potestatem, sed ea est penes uxorem, cujus corporis quoque potestas penes virum est, *Paul. ad Cor.* 1. Hæc reciproca conjugum potestas, vitæ alligata est. *An ignoratis*, inquit idem, *ad Rom. cap. 7. (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; & idem repetit, *1. ad Cor. cap. 7.* Non enim inter conjuges defunctos vinculum societatis conjugalis retinetur. Nescit altera vita matrimonium, *Luc. cap. 20. num. 35.* Hoc sibi Turcæ in cœlis spurcissimè reservarunt, *Alcor. c. 6.* Et anteà præceptum Domini intimaverat conjugibus de non contrahendo novo conjugio ex discessu, seu dimissione. *Iis autem*, inquit, *qui matrimonio conjuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro suo non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*. Respondet Kemnitius, *in 2. p. exam. p. 1268.* Apostolum loqui de dissidiis quibusdam levibus, quæ interdum inter conjuges oriuntur, non de divortio, ex causa fornicationis à Christo permisso. Idem dixit Cajetanus, Erasmus, Calvinus, Martin Bucerus, & alii, *in eod. loc. D. Pauli*, quibus respondet Bellarmi-

larminus, *lib.* 1. *de matr. cap.* 16. *Pigh. d. contr. Cornel. à Lapid. ad D. Pauli, & alii*. Sed August. *de adult. conjug. c.* 4. rem in claro ponit; *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam adulterii*. In canone 87. *sext. synod. Constant.* habetur: *Sed is, qui legitimè sibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, ex Domini sententia est* (Matth. 5.) *adulterii judicio obnoxius. A patribus enim nostris* (can. 57. Basil. M.) *statutum est, ut qui sunt ejusmodi: annum defleant, biennio audiant, tertio anno substernantur, & septimo cum fidelibus consistant*. Facit ad astruendam indissolubilitatem sacri conjugalis nexus, ac maritalis societatis inseparabilitatem, quod viri docti docent: Negant siquidem, & ipsimet morti simpliciter hoc jus in ipsum sacramentale vinculum. Si enim vir, per miraculum resurgeret, quodam jure postliminii, viri cum uxore unio reviviscit, *Archid. in cap. licitè* 34. *q.* 7. Nec ratio abest. Si caro viri caro est uxoris; imò si uxor præpotenti, sacraque vi sanguinis permixtionis, cum viro εἰς σάρκα μίαν transit, virque, & uxor una caro fit, *Gen. cap.* 2. vir reassumpta carne, uxorem reassumit. Hinc Lazarus uxorem non ammisit, *D. Thom. in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 3. *c.* 9. *Navar. lib.* 3. *conf.* 3. Bellarminus, *d. cap.* 16. ante allatam doctrinam de indissolubilitate conjugalis fœderis, in Ecclesia Dei perpetuo, continuatoque usu viguisse demonstrat. Primo seculo testis est Clem. *in Can. Apost.* 48. Secundo seculo Justinus, & Athenagoras, uterque, *in Apologia*, & Clem. Alexand. *lib.* 2. *strom.* Tertio seculo Tertullianus, *lib.* 4. *in Marc.* & Origen. *tract.* 7. *in Matth.* explicans, *cap.* 19. Quarto Concilium Eliberinum, *can.* 9. Ambrosius *in cap.* 16. *Lucæ*, & *lib.* 5. *ad Rom. cap.* 7. D. Hieronymus *in Epistola ad Ocean. & in Epist. ad Amand.* ac S. Jo. Chrysostom. *homil.* 17. V. seculo, Concilium Milevitanum, *cap.* 17. *relat. in c. placuit q. infrà citanda*, ac Concilium Africanum, *cap.* 69. Innocentius I. *in Epist. ad Exuper.* ac S. Aug. *de bon. conjug. cap.* 7. *relat. in cap. interveniente* 32. *q.* 7. & *super Epist. Paul. ad Cor. relat. in cap. Apostolus de q. ac de Sermon. in Mont. Domini relat. in c. fieri, & c. Dominus d. q.* VI. seculo D. Primarius, *in Comment. c.* 7. *ibidem ad Cor.* VII. se-

culo Zacharias Po: *infra citan.* Isidorus, *lib.* 2. *de offic. divin. cap.* 19. & Synodus, πενθ' ἕκτη, ideſt quiniſexta, ſcilicet quæ Quintæ ſub I. Juſtiniano, & ſextæ ſub Conſtantino Pogonato, quod deerat, addit, habita Conſtantinopoli in Trulo, ideſt Imperialis Palatii ſecretario ſupernè fornicato, *cap.* 87. ubi: *quæ virum relinquit, adultera ſi ad alium ſe contulit, ſecundum Baſilium, qui optimè hoc ex Hieremia Propheta colligit, & qui reliquerit legitimam uxorem, & aliam duxerit, juxtà Domini ſententiam adulter eſt. Sancitum eſt, ut hi, qui tales per annum lugeant, per biennium ſint audientes, per triennium ſubjaceant, & tandem ſexto anno congregentur cum fidelibus, & ità demum menſa Domini digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnituerint.* VIII. ſeculo Beda, *in cap.* 10. *Marc.* & Concil. Tribur. *cap.* 46. cujus meminit Ivo Cornotenſis, *p.* 8. *cap.* 210. IX. ſeculo Concil. Foriulen. *cap.* 10. & Theophil. *in cap.* 19. *Matth.* & *in cap.* 7. 1. *ad Cor.* X. ſeculo Concil. Nannetenſe ſub Arnulpho Imperatore, *cap.* 12. ſeculo XI. Anſelmus, *in cap.* 5. & *cap.* 19. *Matth.* XII. ſeculo Alex. III. Papa, *c. ex parte de ſponſal. & matrim.* XIII. Innocent. III. *in c. gaudemus de divort.* & Theologi omnes, qui ſupee, *diſt.* 35. 4. ſententiarum ſcripſerunt; ut D. Thom. Bonavent. & alii, Tandem Concil. Tridentin. *ſ.ſſ.* 24. *cap.* 7. Hìc addi poſſunt alii Canones allati à Covar. *de matr.* 2. *p. cap.* 7. *§.* 6. *num.* 13. à Tholoſan. *ad tit. de ſponſal. lib.* 4. *decr. tit.* 1. *num.* 17. & *ſeq.* à Sanchez *de matr. lib. x. diſp.* 2. *num.* 2. à Papadopol. *Prænot. Myſtagog. reſp.* 4. *ſect.* 4. *n. xiii.* & innumeri DD. allegati ab Anonymo mox citandi.

XXXIX. Sed hic audienda abſque riſu, ſi fieri poteſt, gloſſa ad Concilium Tridentinum, quam aſſerunt viri, aliàs erudītiſſimi, *Selden. uxor. Hebr. lib.* 3. *cap.* 33. quamque deſſumunt ex hiſt. Concil. Trident. *lib.* 8. Canon hæc habet: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm docuit, & docet juxtà Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugis, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrunque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eum, qui dimiſſo adulterio alii nupſerit, anathema ſit.* Hiſtoria hæc habet: *Dove ſi tratta del divortio, per cauſa d'adulterio, s'avevano aſtenuti li formatori de' Canoni d'uſar la voce d'Anatema, avendo riſpetto di dannar quell' opinione, la qual fù di S. Ambroſio, e di molti altri Padri della Chieſa Greca: con tuttociò avendo altri opinione, che quello foſſe*

lo fosse articolo di fede , ed a questo consentendo quasi tutti i voti de Padri, fù riformato il Canone , con l'aggiunta dell' Anatema , dannando chi dicesse, che per l'adulterio si dissolva il vincolo , e che l'un congionto , vivendo l'altro , possi contraer un altro matrimonio: il qual Canone ricevette poi un' altra mutazione, come a suo luogo si dirà; & infrà. *In fine della Congregazione gl' Ambasciatori Veneziani fecero legger una loro dimanda sopra l' Anatematismo de' Divortii , la quale in sostanza conteneva : che avendo la lor Repubblica li Regni di Cipro, Candia, Corfù, Zante , e Cefalonia abitati da' Greci , li quali da antichissimo tempo costumano di repudiar la moglie fornicaria , e pigliarne un'altra; del qual rito, a tutta la Chiesa notissimo, non furono mai dannati , nè ripresi da alcun Concilio, non era giusta cosa condannarli in assenza , e non essendo stati chiamati a questo Concilio, però volessero li Padri accomodar il canone , che di quella materia parla in modo , che non facesse a loro pregiudizio ; la qual avendo i Legati ricevuto , la fecero proporre , senza esaminarla più minutamente ; per la qual causa si levò qualche sussuro trà li Padri, ec. Onde li Legati ordinarono al Secretario, che dalla petizione de' suddetti Ambasciatori si levasse quel particolare: cioè che li Greci non sono stati chiamati : ma così per l'esposizione loro , come perchè tornarono in campo quelli, ch'avendo riguardo all' opinione di S. Ambrosio non volendo usar la parola d' Anatema, fù trovato temperamento di non dannar quelli , che dicono potersi sciogliere il matrimonio per l'adulterio , e contraerne un altro, come S. Ambrosio, ed altri Padri Greci dissero , e gli Orientali costumano ; mà anatematizar quelli , che dicono , la Santa Chiesa fallare , insegnando , che per l'adulterio il legame matrimoniale non è sciolto , ne è lecito contraerne un altro , come dicono li Luterani . E fù la formula approvata concordemente , lodandola molti, con dire , che il Concilio non era congregato , se non per dannar le opinioni de' Protestanti , e non per trattar quelle dell' altre Nazioni: restando però alcuni in dubbio, come si potesse dannar chi dice , la Chiesa fallare , insegnando un articolo , senza dannar il contrario di quello.* Itaque , inquiunt, modò Ecclesia Romana erroris non arguatur, licebit absque anathematis metu, sententiam S. Ambrosii, & Græcorum amplecti , & sic non feriet Tridentinum fulmen, cùm nativo verborum Christi sensui assensus præbebitur . Hinc Anonymus , *in Launo. obser. xi.* §. 8. si Concilium Tridentiuum , *sess.* 24. *c.* 7. inquit , non tamquam dogma fidei definit , matrimonii vinculum dissolvi non posse ,

propter adulterium, faltem hanc esse Ecclesiæ doctrinam contestatur, ejusque reprehensionibus infligit anathema, *Vid. Spalat. in d. l. n.* 15. cui oppones Pallavicinum, *Hist. Concil. Trid. lib.* 23. c. 4. At, petita venia, fas sit illis respondere, cæcutiunt ipsa meridiana luce. *Vid. Cens. Paris. ad Erasm. Propos. & observ.* XI. *d. Anonym.* Si enim Concilium anathema dicit in eum, qui erroris arguet Ecclesiam negantem innocenti conjugi jus ad alias nuptias, priore conjuge superstite, ex scortatione alterius, quomodo amabò licebit in ipsam conciliarem dispositionem permittere hujusmodi jus? Aut Ecclesia negando divortium, quoad vinculum ex adulterio, errat; & eo casu licebit, quod vetat. At quomodo errare potest Oecumenicum Concilium, *Matth.* 18. *Jo.* 16. *Act.* 5. quidquid blacterent in ipsum Lutherus, *art.* 28. *cap.* 29. de conciliis, Brentius, *in Confess. Witemb. cap. de Concil.* Calvin. *lib.* 4. *inst. cap.* 9. *§.* 8. *& in min. instit. cap.* 8. *§.* 163. Aut non errat, & tunc sicut nefas dicere illam errare, impietas est in ipsam, nuptias indulgere, ne dicam adulteria. Si anathema est, qui verbis dicit Ecclesiam errare, eo casu, quando magis qui facto, scilicet solutione conjugii ex adulterio, dicet, & arguet illam erroris. Ludimus frigidis verbis, in hac gravissima re? Igitur venerabilis est Conciliaris dispositio, praxi Catholicæ Ecclesiæ antiquissimæ, ac perpetuæ ejusdem disciplinæ obsequens, *Covar. d. l. in fin.*

XL. Jure tamen Dogmaticus historicus notavit formulæ Anathematis distantiam, ab antiquitatis ferreo stylo, rigidaque remotioris ævi Ecclesiæ praxi, in quam insurrexerunt plures Tridentini Patres, *Hist. Concil. sup. Palavic. hist. Concil. Trident. lib.* 22. *cap.* 4. *in fin.* Transactis seculis fortasse hujusmodi phrasi usa fuisset. *Quicunque, ob adulterium dimissa uxore aliam duxerit uxorem, anathema sit.* Habemus siquidem in antiquis canonibus, qui Apostol. dicuntur: *Si quis Laicus ejecta uxore, aliam acceperit, vel ab alio solutam ἀφοριζέσθω can.* 48. Theologi, ac JC. Orientis hunc interpretantur de ejectione præter rationem, *Matth. Mon. caus. matr. pen. Leuncl. l.* 5. *f.* 515. Hoc non est interpretari, sed corrumpere. Verùm Ecclesia negat conjugi innocenti jus ad alias nuptias, dimissa adultera uxore? Christus verò videtur hoc jus indulgere. Num aliud judex, aliud præco clamat? Absit. Christus siquidem expressis verbis anno ætatis 32. qui fuit secundus suæ prædicationis, sub medium mensis Maii, ut notat Cornelius, *in Matth.* 5. *& in Chrono. num.* 21. in eo monte, qui mons Christi vocari solet, eo quia ibi

solitus

solitus erat orare, & prædicare, qui ab Urbe Capharneo, versus Occidentem tribus miliiaribus distat, non procul à Mari, & adjacet Urbi Bethsaidæ, ut tradunt Chronogrofi terræ sanctæ, *Brocard. itiner. 3. Adricom. p. iii. num. 69.* turbas, scilicet, discipulos, & populum alloquens, *Cornel. ubi supra, & in c. 7. n. 28.* inter cætera docuit: *dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam παρεκτὸς λόγυ πορνέιας excepta fornicationis causa* (seu ut Syrus habet *extrà causam fornicationis*) *facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit mæchatur.* Et rursus, cùm Jesus migrasset à Galliiæa, venit in fines Judeæ trans Jordanem (quod contigit sub festum Scænopejæ, seu Tabernaculorum, quod celebrabatur in Septembri, sequenti enim Martio Hierosolymæ fuit crucifixus, ut notat Cornelius, *Chrono. num. 38.*) iterum docuit: *Quicunque dimiserit uxorem suam ἐιμὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mæchari, & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Sensus hujus doctrinæ videtur apertus, ut quicunque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, adulter fit, præterquam si dimiserit, & aliam duxerit ex causa fornicationis conjugis prioris, qui adulter non est, si ex eadem causa priorem dimittat, & aliam ducat uxorem, ex vi exceptionis, *juxtà tradita per DD. ad reg. exceptionem de reg. jur. in 6.* & in vim dictionis *nisi*, quæ est exceptiva, & regulariter ponit contrarium ejus, quod præcedit, *leg. 2. §. fin. ff. de custod. & exhiben.* Ideòque si præcedit negativa, dictio *nisi* subsequens importat affirmativam, *Dyn. in c. peccatum de reg. jur. in 6.* & propterea inducit argumentum à contrario sensu, *Sichar. ad leg. 4. num. 10. C. de transact.* Hinc videtur Christus negando conjugi dimissionem uxoris, jusque ad alias nuptias, nisi ob scortationem, concessisse dictum jus novi connubii ex eadem causa. *Qui sumus,* inquit Augustinus, *lib. 1. de adulter. conjug. cap. 9. ut dicamus, est qui mæchatur uxore dimissa, alteram ducens, & est qui hoc faciens, non mæchatur, qui hoc facit, cùm Evangelium, dicat eum mæchari, qui hoc facit? Verùm Evangelium dicit, mæchari, qui nisi ob fornicationem priore dimissa, alteram conjugem ducat, non ergo generaliter prohibuit, quod exceptione indulsit. Si conditionaliter* ait Tertullianus, *lib. 4. ad Marc. cap. 34. prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit, & quod non in totum prohibuit, permisit.* Hoc argumentum est adeò efficax apud Græcos, & Novatores, ut matrimonium secundum permittant, ob adulterium

con-

conjugis, ut diximus. D. Augustinus fatetur, obscuram esse hanc quæstionem, & venialiter falli, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, eum non esse adulterum, qui dimissa uxore ex causa fornicationis, aliam duxit, *de fid. & oper. cap.* 19. Tempore siquidem Augustini non erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum, ut observat Bellarminus, *de matr. lib.* 1. *cap.*17. quod prorogat usque ad sua tempora Cajetanus, *in Matth.* 19. 9. Imò Pighius, *d. controv.* asserit intrepidè, Christum studio eam obscuriorem reddidisse. Hanc obscuritatis notam Cornelius, *in Matth.* 19. Evangelistæ impingit. Plures explicationes à Patribus afferuntur, *ad d. cap.* 5. *&* 19. *cap.* 19. D. Augustinus, *de bon. conjug. cap.* 7. & majori luce *de adult. nupt. lib.* 1. *cap.* 9. ita exponit Christi verba: *quemadmodum igitur si dixerimus, quicunque mulierem à marito, præter causam fornicationis dimissam duxeris, mœchatur, procul dubio verum diximus; nec tamen ideò illum, qui propter causam fornicationis, dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus, sed utrosque mœchos esse minimè dubitamus: ita eum, qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideò tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, & alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus; ambos enim licet alterum altero graviùs, mœchos esse cognoscimus*. Deinde explicans, *cap.* 5. *&* 19. *Matth.* docet *τὸ nisi* ob fornicationem accipi debere negativè, ut *τὸ nisi* ob fornicationem idem sit, quod extra fornicationem. Favent Græca, & Syrus, quæ habent: *Non adulteram*; quasi Christus tantùm velit affirmare, uxorem fidam, & castam non posse dimitti, de infida verò, idest, de incesta, & adultera, nil velit dicere ad vitandam invidiam Pharisæorum, & populi, cui tunc licita, & usitata erant adulterorum repudia, & novæ nuptiæ cum aliis, *Cornel. à Lapid. in Matth.* 19. *vers.* 9. Respondent Cajetanus, & Catharinus, frustrà, & supervacaneè additur illud *nisi ob fornicationem*; poterat enim Dominus generatim, & faciliùs dicere: omnis, qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mæchatur, ut re vera dixit, *Marc.* 10. *& Luc.* 16. *ut infrà*. Nec defensio Bellarmini videtur ad rem, *d. lib. cap.* 16. Scilicet Dominum divina providentia ita loquutum fuisse, ut occurreret Pharisæorum tentationibus, qui venerant parati, ut eum sermone caperent; nam Christus vi dictionis exceptivæ *nisi* ob fornicationem, inclusit adulterium, ut causa esset divortii, sicuti Hebræi in praxi, & ex lege, ut vi-

dimus

dimus adulteram, cui publicam vindictam indulgebant, dimittebant, & novas nuptias inibant: quare exceptio videtur semper urgere.

XLI. Secunda explicatio est Theophilacti *in c. 19. Matth.* Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari, & aliam duxerit, mœchatur, & idem anteà docuerat Augustinus *l. b. contr. Adimave. cap. 3.* Hanc solutionem valdè conformem Matthæi verbis dicit Bellarminus, cùm ex justa dimissione uxoris periculum fornicationis non imputetur dimittenti *c. 14.* sed aliter explicat Cornelius, ubi supra. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, bis mœchatur, tum dimittendo uxorem, tum aliam ducendo. Christus enim utrique respondet, quia utrumque Pharisæi quæsierant, & utrumque est verum. Nam etiamsi vir, solùm dimittat uxorem castam, & innoxiam, nec aliam ducat, mœchatur; quia violat jus matrimonii, & uxoris suæ, quod est quodam mœchari: mœchia enim significat vitium directè repugnans matrimonio, quale est dimissio uxoris insontis. Hæc Cornelius. Sed Cornelii responsio robur sufficit illis, qui ex desertione viri, veluti ex adulterio præsumpto, ac violatione juris maritalis per apostasiam, permittit repudium. Papadopulus verò Græciæ vetustorum, avitorumque morum laudabilis *ἐπαινετὴς, dist. sect. 4.* dicit: duo nobis insinuant Matthæi verba, *cap. 5. omnis &c.* prima, postremaque parte periodi. Prima docet Divinus Præceptor, ne quoad thorum maritalem attinet, quidem fas esse conjuges invicem separare, nisi ob adulterium, vel uti dicimus, fornicationem, aliudve par, minusve piaculum. Postrema verò præcipit, ne ob adulterium quidem, aliudve piaculum, vinculum solvi posse. Sed si verum fas est ingenuè fateri, ex his caliginosa nox, loco lucis, rei quam autores suprà allegati obscuram dicunt. Sed insistamus nativis verbis Matthæi *cap. 19. quicunque* &c. Hìc mœchus declaratur vir, qui præter causam fornicationis, uxorem dimittit, & simul aliam ducit; non qui dimittit tantùm uxorem; nam *&* dictio est conjunctiva, *l. si quis ita stipulatus, ff. de verb. oblig. l. si hæredi plures ff. de condit. instit. l. hæredi §. Cajo, ff. de fund. instr. cum concord.* & quod conjungit, utrumque concurrere debet, *Narbon. leg. 26. gloss. 5. n. 26. tit. 22. lib. 4. Recop.* Hinc est, quòd ex sola dimissione uxoris, vir non mœchatur, *Durand. 4. d. 32. q. 2. ad 2.* nec *μοιχεία* est dimissio uxoris, sed adulterium, seu scortatio, *Balsam. p. 1046. ad Nicæn. epist. can. tom.*

9. μοι-

3. μοιχεία πρὸς γυναῖκα ἀνδρὶ συνοικοῦσαν ἡ εἴσλευσις. *Machia est introitus ad mulierem viro conjunctam*, & idem *ad resp. Canon. Timoth. Alex. p.* 1066. Ideò qui dimittit conjugem suam, & aliam non ducit, adhuc est maritus; nam etsi corpore est separatus, adhuc est animo conjunctus. Cùm ergo aliam acceperit, tunc priorem plenè dimittit. Non ergo qui dimittit mæchatur, sed qui alteram ducit. *Hæc Hieronymus supr. Matth. relat. in c. t. 27. q. 7.*

XLII. Verum tamen est, quòd vir dimittens uxorem, eam facit, seu meliùs, piaculo μοιχείας exponit, mæchari, *Matth. 5. vers. 32.* scilicet eam dedit in fornicationem, ut Arabicus vertit, eam exponendo periculo incontinentiæ, eamque deserendo. Si enim vir, absque causa fornicationis, derelinquit uxorem, eam adulteram facit, non verò eadem causa, *Abulens. in cap. 19. Matth. q. 76. ad 4.* ubi, *quicunque uxorem suam præter causam fornicationis dimiserit, peccat, & qui ex quacunque causa dimissam ducit, mæchatur.* Ulterius vir aliquando causa ab Ecclesia divinæ legis interprete, quæ spiritus Dei est ὄργανον, approbata, præter causam fornicationis dimittens uxorem, non facit eam mæchari, nec peccat, *Trident. sess. 24. de matr. cap. 8.* Hinc viro fas est uxorem, si ferocioris, ac virilis animi est, sævientem dimittere, *leg. consensu C. de repud. cap. 1. ut lit. non contest. c. literis de spoliat.* quidquid permittitur, viris redundat in fœminas, *D. Hieronym. epist. 30.* si uxor viro venenum propinaverit, licitè dimittitur, *Gerard. singul. 65. Abb. in c. quemadmodum de jure l. unica col. p. C. de raptu virg.* Si uxor incidit in furorem, quo casu insons est, justè divertit vir, *Alex. in l. si cùm dotem, §. si Maritus, ff. s. lut. matr. & supra citat.* si hæresi uxor inficiatur, jus est viro divertendi, *August. citat. ab Alph. de Castr. de potest. leg. pœn. f. 300. c. 2. de divort. cap. fin. de convers. conjug.* Sicque, si vir nimis bibulus sis, & exinde periculum conjugi oriatur, *Gen. Cur. Arch. Neap. prax. c. 21. n. 14.* Ergo ex dimissione uxoris, etiam insontis præter causam fornicationis vir mæchiam non incurrit. Nec carpere potest Kemnitius Ecclesiam, eo quòd, præter πορνείαν permittat divortium, contra Christi præceptum: Christus si quidem de divortio, quoad vinculum, loquutus est; Ecclesia verò permittit, quoad thorum, ex causis supra allatis ad tempus, seu in perpetuum. Quoties verò ex adulterio fit divortium, quia illud directè repugnat fœderis conjugalis naturæ, per quod divisa est caro viri à carne uxoris, perpetuò diver-

tendi

tendi jus oritur conjugi innocenti, adeò ut licèt adultera pœnitens, maritus tamen pœnitentem uxorem recipere non tenetur, ut cogitur in divortiis ex aliis causis, *Cornel. in d. cap. 5. verſ. dices*. Nec ſeparat Eccleſia, quos Deus conjunxit, quando ſeparatio interdicta includat abſciſſionem vinculi, & jus ad alias nuptias, per quas dumtaxat ſeparantur conjuncti à Deo, prout non ſeparantur conjuges, qui conſenſu cœlibatum vovent. Hinc malè interpretatur Papadopulus, *Matth. 5.* ac ex eo deducit, Dominum præcepiſſe non divertere conjugibus, quoad thorum, & cohabitationem, niſi ex cauſa fornicationis; ibidem enim Chriſtus apertè loquutus eſt de repudio, circa quod interrogabatur à Phariſæis, ut advertit Seldenus, *d. l. c. 26.* Divortia ſiquidem quoad thorum, & menſam non tam ſacris literis, quàm legibus gentium incognita, *Sanchez de matr. l. x. diſp. 2. num. 1. Bellarm. de matr. cap. 17.* & donec leges Imperiales in Oriente, & Principum in Occidente cauſas repudii præſcribentes locum habuere divortia, quoad menſam, quoad thorum, quoad lares prorſus Eccleſiæ ignota fuere. Tandem non congruiſſet reſponſio. Repudium enim importabat dimiſſionem uxoris, ac novas nuptias, *Deut. 24. Levit. 21. Jer. 3. Ezech. 44.*

XLIII. Deinde quare Eccleſia Catholica divortia permittit ex aliis cauſis, præter cauſam adulterii? Incidit in Sylam Papadopulus. Excuſandus tamen eſt, quia ejus ſententia uſi ſunt etiam Theologi Germaniæ, prout deprehenditur ex Conſtitutione Carol. V. Imp. quam, *Interim vocant c. 2.* Ità merus luſus eſt, quem ſubjicit Bellarminus: *Dominum apertè decidere noluiſſe, utrum liceat dimittere fornicariam, quoad vinculum; quia hoc altius erat, quàm ut ab iis capi tunc poſſet, reſervaſſet autem idipſum ad colloquium domeſticum, Marc. x.* Ergo Chriſtus cathegoricè non reſpondit Phariſæis, & legis peritis? Ergo timuit decidere quæſtionem? Inane prorſus diffugium. Tertia reſponſio eſt, τὸ *niſi* accipi propriè, & exceptivè, ſed tunc non ad id, quod ſequitur, *& aliam duxerit*, ſed tantùm ad id, quod præceſſerit, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam*, referendum eſt, ut ab illo duntaxat excipiat caſum fornicationis: quicunque dimiſerit uxorem ſuam, quod non licet, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, hic mæchatur. Favet Æthiopicus, qui vertit: *quicumque aliam ob cauſam, quàm fornicationem, dimiſerit uxorem, & aliam duxerit, mæchus eſt.* Et Perſicus: *omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & non propter adulterium, & aliam ducit, mæchus eſt.* Hæc Bellarminus, *d. cap. 16.* Cornelius *d. cap. 19.*

Verùm opponunt adverſarii: Ergo ex hac explicatione ſola cauſa dimiſſionis eſt adulterium, ut cogitur fateri Bellarminus. At hoc videtur falſum ex ſuprà allatis, & inſpecta lege Moſaica, ſeu meliùs abuſu legis, *Deut.* 24. Juſta cauſa non ſolùm dimiſſionis uxoris, ſed & repudii reputata fuit quælibet fœditas, V.G. lepra, ſterilitas, perpetua ebrietas, aliique pravi mores incorrigibiles, ſed quicunque prætextus, ut vidimus.

XLIV. Nec deſunt, ut notavimus, qui autumant pro fœditate præſcripta pro repudio, colligi prædicta vitia, *Origenes; Chryſoſtomus, & alii, Cornel. ad d. cap.* 24. Nec quicquam favet Æthiopicus, aut Perſicus. Dictæ ſiquidem verſiones vim faciunt in copula *&* aliam duxerit, mæchus eſt. Aliæ affetuntur explicationes ab Abulenſi, Alphonſo, & aliis, ſed minùs probabiles, Bellarminus *ubi ſupra*. Sed vide Arniſæum, *de ſolut. matr. c.6.* Et tandem, vir doctiſſime, explicatio toties à me quæſita, quæ mihi præ cæteris arridet. Hæc literam non torquet, hæc vim nativo Chriſti verborum ſenſui non infert, hæc Chriſti doctrinam, & perpetuam Eccleſiæ interpretationem tuetur. Hæc clara, hæc Chriſtum ſapientiſſimum Præceptorem, & Matthæum fideliſſimum Evangeliſtam ab obſcuritatis nota præſervat. Antequam tamen Divinum Chriſti reſponſum in medium ponamus, illudque ad tenuiſſimas vires explicemus, in cujus gratiam parvula noſtra mens hanc Diſſertationem compoſuit, operæ pretium duximus. quid ſummis labiis ex Talmudico Codice delibandi, quod fortè veluti lux ſit verbis cœleſtis, infallibiliſque Magiſtri, obſcuris ab aliquibus reputatis. Imò fas ſit aliquid præter morem recoquere, ex iis, quæ num. XIII. attulimus, ut luculentiſſimè micet Sapientiſſimum Jeſu Chriſti reſponſum ad ſubdolam, difficilemque Phariſæorum interrogationem. Extat Moſaica lex de Divortio, ſeu Repudio, Deut. 24. *Cùm vir acceperit uxorem, & maritaverit eam, fiatque ut illa, non inveniet gratiam in oculis ejus*, כי מצא בה ערות דבר, *quoniam invenerit in ea turpitudinem rei, ſeu rem turpem* (vulgata) *propter aliquam fœditatem*, Chaldæi עבירת פיתגם *tranſgreſſionem rei, ſeu rem turpem*, ut & Græci, quibus ſubſtituitur ibi, ἄσχημον πρᾶγμα, *rem fœdam*, ſeu negotium impudicum, ut voluit Tertullianus lib. 4. cont. Marc. c. 34. & Burgen. *in cap.* 19. *Matth.* Verùm Origenes, Chryſoſtom. & paſſim interpretes hic, & *Matth.* 19. 7. per *fœditatem, ſeu turpitudinem, aut rem turpem*, . .

turpem, non ſolam fornicationem, ſed etiam alias fœditates tùm animi, tùm corporis accipiunt, ob eaſque licitum fuiſſe repudium docent, & ſatis hoc indicat vox *aliquam*, & Hebræa, quæ habet *fœditatem rei alicujus*. Hebræum enim *eruat*, ideſt *nuditas*, ſumitur per metalepſim, & per catachreſim pro fœditate, ſive re qualibet pudenda, & fœda: & nuditas eſt res valdè pudenda, & fœda. Talis ergo turpitudo, ſive fœditas, ob quam licitum erat uxoris repudium, erat v. g. ut dicimus lepra, ſterilitas, veneficium, rixæ perpetuæ, ebrioſitas, aliique gravi mores incorrigibiles; nam in fornicatione, vel potiùs adulterio vix videtur locum fuiſſe repudio: ſi enim conſtaret facinus, adultera lapidabatur, ut patet Levit. 20. 10. ſi ſuſpenſa haberetur de crimine, aquis zelotypiæ, quas bibere cogebatur, ut ſupra diximus, prodebatur *Num.* 5. 17. *Corn. à Lap. ad d. c.* 24. Nihilominus videtur Christus ערוה *eruat* explicaſſe per *πορνείας*, ut dicemus. Lata hac lege in veteri fœdere per DCC. annos Divortii mentio non occurrit. Rara quidem alicubi poſteà ejuſdem veſtigia. Exemplum, ſtante Republica Hebraica, aut nullum, aut rariſſimè memoratum, *Seld. de Uxor. Hebraic. lib. 3. cap.* 19. Attamen non inde ſanè elici poteſt, repudia in moribus haud fuiſſe apud Hebræos; nam ſolemne quidem ipſis fuit Prudentum, ſeu Juriſconſultorum generales Interpretationes, Reſponſa, Diſtinctiones, Regulas, id genus aliqua congerere, non verò Deciſiones forenſes, Actiones ſingulares inſtitutas, ſingulorum contractus, atque inſtrumenta referre, aut colligere. Quoniam igitur è Deciſionibus forenſibus, ſingularibus Actionibus, Contractibus, Inſtrumentis, exempla petenda ſunt; non ex Interpretationibus, Diſtinctionibus, Regulis, id genus aliis traditis, mirum non eſt tantam haberi Divortii Exemplorum penuriam. Verùm cùm lex pro repudiis lata ſit, ob duritiem cordis Hebraici, nihil uſitatius, ſolemniuſque fuiſſe Divortiis veroſimile eſt. Imò adeo Lex ipſa, Repudiorum frequentia, & abuſu violata fuit, ut pro libito in ipſam legem cauſam requirentem, repudia mitterentur. Hanc veritatem demonſtrant ea, quæ Chriſto vivente, apud ſcholas, ſeu ſectas Hieroſolymis hac in re agitabantur. Duplex tunc erat illuſtris Schola: Alteram docebat Hellel, qui Princeps, ſeu נשיא erat Synedri Magni, alteram verò Sammai אב בית דין, ſeu *Pater Synedri*, ſeu à Principe Secundus, *Abrah. Zacut. in lib. Jochacin*, *& R. Gedaliah in Scilſcelet*. Utraque non multò priùs, quàm Dominus naſceretur, orta eſt in Judæa, *D. Hieron. ad Iſai. cap.* 8.

Uterque juris ſcientiſſimus fuit. Sammai tamen, quamvis fuerit diſcipulus Heilelis, diſcors erat à Sententia Magiſtri in re repudiatoria; quare inter has ſcholas nobile diſſidium. Hillelani verba legis repudia permittentis, ſupra relata ad genium laſcivientis æquè, ac duri cordis Hebraici torquebant, adeout non ſolùm *ob nuditatem, impudicum negotium, turpitudinem, fœditatem, ſive rem turpem* repudium permitterent, ſed ex quacunque cauſa, ita ut reverà cauſa repudii eſſet color, prætextus, ſeu libido repudiantis. Sammejani verò tenaciùs veriuſque verbis legis inhærentes, negabant licita hujuſmodi repudia eſſe, ſed ut legitimè fierent, cauſam repudii requirebant, ſcilicet *turpitudinem, ſeu rem turpem* uxoris. Illuſtris diſſidii fucus habetur *in Gemmar. Babyl. ad tit. Gittin. cap.* 4. *fol.* 90. & eſt hujuſmodi: *Traditur ad hunc modum diſputaſſe Hillelianos, & Sammæanos.* Hilleliani; *Nonne disertè in lege nominatur* דבר, (ideſt) *res, ratio, cauſa, verbum.* Sammæani; *Nonne etiam disertè nominatur* ערות, *Turpitudo, in regimine; adeò ut turpitudo rei, rationis, cauſæ, verbi, ſeu ipſa turpitudo, ſimul deſignetur*, Hill. *ſi in lege Turpitudinis ſine adjectione rei, cauſæ &c. ſola mentio fuiſſet, non malè dixerat fortè aliquis, ob Turpitudinem, uxorem poſſe ejici; ſed non ob rem, ſeu cauſam* (aliquam aliam) *unde fiebat, ut etiam* דבר *ſeu res, &c. adjiceretur. Et ſi τῦ* דבר. ideſt *Rei, ſeu cauſæ &c. duntaxat mentio facta fuiſſet, non verò Turpitudinis abſurdum non fuiſſet dicere repudiatæ ob rem, ſeu cauſam aliquam* (aliam) *& jam nubere alteri fas fuiſſet, non item repudiatæ ob Turpitudinem. Ideò interſeritur etiam ipſa Turpitudo. Samm. At obſervanda eſt vis vocabuli* דבר, *ſeu Rei, &c. ut alibi ita heic. Alibi legitur* (Deut. 19. 16.) *in ore duorum teſtium, aut in ore trium teſtium firmabitur* דבר, ſeu res qualiſcunque, *Ut Res, ſeu* דבר *ibi ad binos teſtes attinet, ita etiam in lege de Repudiis ad binos teſtes attinet* (ita nimirum, ut ejuſmodi ſit Turpitudo, ejuſmodi Res, ut ejus re non ſine binis teſtibus uxor rea peragatur.) Hillel. *An verò ſcriptum eſt, Turpitudinem in Re?* Samm. *An verò ſcriptum eſt, aut Turpitudinem, aut Rem?* Hillel. *Ideò ſcriptum eſt, Turpitudinem Rei, ut non ſolùm Turpitudo in Re, ſed etiam ſive Turpitudo, ſive Res, ſive cauſa qualiſcumque intelligatur.* Ita illuſtres Scholæ digladiabantur, ut ſubtilioribus argumentis libidini, & duritiei cordium Hebraicorum faverent. Sed ne his ſententiis contenti fuere Magiſtri, nam rejecta non ſolùm Sammæana, ſed & Hilleliana, etiam ſi permitteret repudium, ob ci-

cum

bum nimio ardore coctum, vel si ætas, gustus, forma, aliave res quæcunque levicula uxoris marito displiceret, adeò ut *non inveniret ea gratiam in oculis ejus*, *Misn. tit. Gittin. cap. 9.* eam, quæ fuit Rabbi Aquibæ amplexati sunt, sentientis licicitum fuisse repudium, *si vir invenerit etiam ea pulchriorem*, *aut sibi commodiorem*, *d. Misn.* De hac illustri, celebrique controversia Pharisæi, Aquibitæ, & Hillelianistæ, Christum interrogant, *Matth.* 19.

Et factum est, cùm consumasset Jesus sermones istos, migravit à Gallilæa, & venit in fine Judeæ trans Jordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque causa. Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fæminam fecit eos, & dixit propter eam dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque non sunt duo, sed una caro: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi, quid ergo Moses mandavit libellum repudii., & dimittere? Ait illis, quoniam Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur. Qui sunt, qui tentant Christum? Pharisæi, natione Judæi, de quibus Epiph. *contr. hæres. lib. 1. tit. 1. Hæres. 16.* Summi illius temporis Theologi, ac juris periti, qui propter sua *δευτέρωσιν* legem perversè interpretabantur. Hi hostes aperti Christi, murmurant, quòd Christus cum peccatoribus versetur, *Luc. cap. 15.* tentant Christum, ac signum ab eo quærunt de cœlo, *Matth.* 16. insidiantur illum interficere die Scænopejæ; *Jo. cap.* 8. In Christum insurgunt, quòd Sabbatho paralyticum curasset, *Jo.* 7. & iterum tentant eum capere in sermone, *Matth.* 22. Hi sunt, qui de ipsa inter Hillelianos, & Sammæanos controversia, ac illustri dissidio interrogant Christum, an liceat *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν*, *quacunque causa* dimittere uxorem (quæ affirmativa sententia erat tum Hillelianorum, ita interpretantium illa verba legis: *si non invenerit gratiam in oculis ejus*, tum receptior, quia libidini indulgentior) ut illum adigerent ad damnanda divortia, contra legem, aut saltem eorum licentiam, contra Magistrorum placita, aut ad illa probanda, quod æquioribus displicuisset; *Bellarm. d. cap. 16. f. 2.* Sammæjani siquidem dumtaxat permittebant, ob rem turpidi-

nis,

nis, seu turpem, Hilleliani verò, quibus affinis erat Aquiba; repudium indulgebant, ob causam aliquam qualemcumque, quàm ob turpitudinem. His Christus respondit, *non legistis &c.* & eis objicit indissolubilitatem sacri conjugalis nexus, natura, institutioneque. Replicant Pharisæi: *Quid ergo Moses* (ἐνετείλατο) *mandavit dare libellum repudii*? Tunc Christus, quia primò dixerat indissolubile matrimonium natura, ut diximus, & institutione, secundò ad objectam Mosis dispensationem à dicta indissolubilitate, opponit duritiem cordis Judaici populi. Ergo quæ sequuntur, quicunque dimiserit uxorem præter fornicationis causam, &c. respiciunt legem Mosis, eaque inspecta, excipit fornicationis causam, in indissolubilitate conjugii, quam sub nomine fœditatis, ut diximus, sacer textus appellat, *Deut.* 24. quæ sola indissolubilem carnem viri, & uxoris solvit. Hinc Christus negat dimitti posse uxorem, ex quacunque causa, ut interrogabant tentantes, juxtà scholam Hillelianam, ac Rab. Akibæ sententiam. Et ex hac Christi responsione explicatur lex, *Deuter.* 24. seu quid sibi velit fœditas, à lege præscripta pro repudio, scilicet negotium impudicum, ut dicit Tertullianus, & πορνεία *scortatio*, ut hìc dicit Christus, qui sic improbavit licentiam divortiorum ex quacunque causa. Ea quippe vox Rabbinicè, seu Talmudicè prolata à Christo turpitudinem, seu fœditatem sonat, eruditè, ac doctè, *Seld. d. l. c.* 23. Abutebantur siquidem Judæi lege repudii, & dispensationem juxtà naturam ejusdem, in dissipationem trahebant, & pro fœditate interpretabantur quamcunque causam, seu quodcunque frigidum prætextum. Itaque Christus, *Matth.* 19. sententiam suam fert, inspecta lege Mosaica, *Selden. uxor. Hebr. lib.* 3. *cap.* 26. Hæc est explicatio Burgensis, *in Matth.* 19. *addit.* 2. *ad Lyran. Riberæ in Malach. cap.* 2. *num.* 36. *Durandi in* 4. *dist.* 35. *q.* 2. *ad ult. quam innuit Dried. de dogmat. lib.* 2. *cap.* 3.

XLV. Favet opinio Meldonati, *in Matth. cap.* 5. & aliorum, qui censent Christum hìc tantùm agere contrà perversas Pharisæorum legis interpretationes; ideòque hìc ipsum se non opponere legi, & Mosi, & sed tantùm Pharisæis, eorumque legis interpretationibus prætendentibus, fas esse viro divertere κατὰ πᾶσαν αἰτίαν. Declaratur hæc explicatio, ex eo quòd Discipuli putantes, & ipsi liberius fuisse divertendi jus ex moribus Gentium, ac ex placitis Rabbinorum, seu Magistrorum interpretationibus, & doctrinis, quàm hìc Christus definierat, non contenti Christi responsione tentationi Pharisaicæ; quasi illi insur-

gunt,

gunt: *Si ita est causa hominis cum uxore συμφέρει non expedit nubere*, ac domi iterum de eodem interrogant Præceptorem, ubi, absque ulla exceptione, simpliciter, & purè (ut notat Pighius, *ubi suprà*) quia Pharisæi nec objiciebant legem Mosis, nec aderant, respondit: *quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mæchatur*, *Marc.* 10. 11. & *Luc.* 16. 18. Hujus doctrinæ sensus est. Post quam vir, & uxor ex vi conjugalis nexus, ac sanguinum commixtione in unum corpus coaluere, fas non est pro libito disjungere, quos Deus conjunxit. Et quamvis à Mose permissa, & à Numine tolerata fuerint repudia; ob duritiem cordis Hebraici, ex causa fœditatis, seu πορνείας, Christus qui ad implendam, perficiendamq; venerat legem, dispensationem, seu dissipationem, removet, ac necessariò dissipationem repudiat, si legem impleturus erat, & sacra connubialia jura pristinæ indissolubilitati, & omnimodæ firmitati restituit, *d. l. Marc.* & *Luc.* Ubi notandum, quod Christus de uxore dimittente virum edicit, quæ sententia locum habere non poterat apud Judæos; cùm lex Mosaica, ut vidimus, solùm viris permittebat repudium, de qua nihil dixerat, *Matth.* 5. & 19. tentantibus Pharisæis, & de repudio viris dumtaxat permisso interrogantibus, ibique opponentibus legem, lege respondit, *Bellarm. d. lib.* Tamen hæc doctrina displicet Cornelio, ubi supra, quia, ait, Christus, *Matth.* 5. & 19. directè sua dicta, idest legem Evangelicam opponit Mosi, & legi veteri, imò libellum repudii, quod Moses permiserat, aufert, *vers.* 8. & *seq.* Hoc verum non est, ut supra vidimus, sed solùm Christus legem Mosis explicat, *Matth.* 19. sicut & 5. loquendo ad Judæorum sensum, ut fatetur idem Cornelius *ibi*; opponit verò legem Evangelicam legi Mosaicæ, & repudium simpliciter damnat, *Marc.* 10. & *Luc.* 16. discipulis eum requirentibus de lege maritali, ejusque indissolubilitate. Hinc Paulus, 1. *ad Cor.* 7. *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam.* Hac doctrina accepta corruit omninò diffugium Armfæi illius vim prævidentis, quod fortasse ab aliis explicationibus non dilueretur: opponit siquidem regulam, quam Augustinus, *lib.* 1. *de cons. Evang. trad. supplendum esse ex uno Evangelista, quod desit, & omissum est ab altero.* Et quod Marcus, *c. x.* & Lucas, *c. xvi.* non dicit, scilicet *excepta causa fornicationis*, sumendum esse à Matthæo, *c.* 19. *nisi ob fornicationem*. Cæterum quæ habet

Joannes

Joannes Chrysost. & Hieronymus, *super 19. Matth. relati à Gratiano, in c. 1. & 2. 32. q. 1.* divortium importat thori, non abscissionem vinculi conjugalis. Quare difficultatem non percutiunt. Quandoquidem & adulteram uxorem post peractam pœnitentiam sibi reasociare potest vir læsus, ut scribit Pelagius P. Malco Subdiacono, *relat. in cap. de benedicto d. q.* Imò teneri virum recipere adulteram conjugem pœnitentem, docuit Augustinus *ad Polent. lib. 3. Nunc*, ait, *postquam Christus, dixit adultera: Nec ego te condemnabo: vade, deinceps, noli peccare; quis non intelliget, maritum debere ignoscere, quod videtur ignovisse Deus amborum?* Vim sumit ab exemplo Dei. *Vulgo (Hier. 3.) dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo auxerit virum visum alterum, numquid revertetur ad eam ultra?* (juxta legem, ejusque praxim) *numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Unde & de adultera manifesta, ac publicè cognita, nec ad meliorem mentem redeunte, & de ea, cujus peccatum clancularium, aut quæ ad mores rediit castos, distinguentès maximè Scholastici hanc retineri posse ajunt, non item illam, saltem à thoro dimittendam, triennii etiam præstituente canone *c. 6. 32. q. 1.* ne etiam vir adulterio uxoris videatur favere, *Pont. de matr. l. 4. c. 11. n. 3.* In secundo casu si maritus crimen condonat, citra prohibitionem, intra biennium eam recipit, *Novell. 134. c. 10. Justin. Matth. Monach. qq. matr. 8. pen. Leuncl. d. f. 508.* In hoc sensu decrevit Concilium Arelatense, virum debere recipere adulteram, si pœnituerit. Hujus sententiæ fuere Concilia Eliberinum, Neocæsariense, Arelatense, ac Parmetiense; & si quid in ipsis reperitur in Christi legem, & Apostolorum doctrinam, indulgentiam fuisse illorum temporum in pejora, non verò juris difinitionem, dicendum est, *Joan. Fernand. lib. 1. Thes. Script. cap. 47. num. 2.* Hujus sententiam anteferendam esse censeo opinioni Meldonati, existimantis Concilia prædicta apochrypha fuisse. Si enim apochrypha dicere, vel suspicari, aut allegare, antiquis documentis obstaret, facilè omnia ruerent. Venerabilis est antiquitas, nec respuenda, nisi plenis legitimis argumentis. Illa quoque dixit apochrypha, Magister 4. *d. 35.* Abulen. *in c. 19. Matth.* qui suspicatur ab hæreticis conficta, *Grat. d. q. 7.* ut notavit Card. Contar. *Concil. sum. fol. 551.* sed hoc non probatur, *Covar. de matr. 2. p. cap. 7. §. 6. num. 13.* Canon x. Concilii Arelatensis I. *De his, qui conjuges suas in adulterio*

depre-

deprehendunt, & ii sunt adolescentes, & prohibentur nubere; placuit, ut in quantum potest Concilium, eis detur, ne viventibus uxoribus, licèt adulteris, alias recipiant: quamvis non præcipiat conjugibus innocentibus, & adolescentibus, ut à nuptiis temperent, viventibus conjugibus, licèt adulteris, & solùm consilium det; tamen per hoc haud inferri potest jus ad alias nuptias transeundi; Sicut peccatores libertatem peccandi non habent, quibus consilium datur, ut pœniteat, *Anonym. in Laun. obser.* XI. Sed adhuc difficultas urget. Quare enim Concilium non præcipit, & quidem sub anathemate in re adeò gravi? Primis Ecclesiæ seculis, ut vidimus, vulgaris erat opinio juris repudii ex adulterio. Prisci, & aviti mores circa repudia ex Hebræis, & ex Gentibus ad Christum conversis in Christianismum invecti fuerant, Doctrina Christi circa hoc tunc malè intellecta, & difficilis, & proinde Patres discordes. Et leges Principum repudia indulgentes difficile reddidissent Concilii præceptum imperans cœlibatum innocentibus. Quare consilio utitur in illos, qui prohibentur nubere.

XLVI. Remanent, doctissime vir, expendendi quatuor antiqui Canones supra allati. Primus est, *c. uxor.* 17. *d.* 9. *ex D. Ambrosio, super Epistolam primam D. Pauli ad Cor.* 7. cujus verba: *Uxor non discedat à viro, nisi causa fornicationis, quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo. Et vir similiter non dimittat uxorem: Ideo non subdit de viro, quod de uxore permisit, quia viro licet ducere aliam.* Fatendum est, solutionem hujus canonis difficilem esse. Pro solutione, DD. primò dicunt, hunc canonem intelligendum esse, ut fas sit, viro ducere uxorem post relictam conjugem adulteram, & mortuam, *Maldon. in cap.* 19. *Matth.* Sed hæc solutio repugnat Ambrosii verbis, *Covar. ubi suprà*; Nam legenti satis obvium est, Ambrosium loquutum fuisse, de uxore vivente, *Sanchez d. disp.* 3. Ulteriùs planum nimis est, virum mortua uxore, solutum manere à lege maritali, jusque ipsi integrum ad alias nuptias, *D. Paul. supra allat.* Secunda solutio est, D. Ambrosium loquutum fuisse, inspecta lege politica Cæsarum, & ideò Paulum, ne offenderet Cæsarem, noluisse expressè dicere, si vir dimiserit uxorem, maneat sic, aut uxori reconcilietur. At nec Bellarmino, *d. cap.* 17. placet. Ambrosius siquidem super Epistolam Pauli scribit, non super leges Imperiales. Tertiò, Gratianus nimis addit Ambrosio, ait enim, intelligendum Ambrosium esse de fornicatione incestuosa præcedente matrimonium, quod ex eadem irritum

est; & tunc non minùs vir, quàm uxor ad alias nuptias transire potest, sed hoc Ambrosius non dixit; *Tolosan. ad tit. de sponsal. num.* 127. Insuper Gratianus *in c. quod proposuisti d.* 9. dicit, illud Ambrosii à falsatoribus infertum; sed de hoc jam diximus. Tamen inficias ire non possumus, Ambrosium aliter sensisse, scilicet non licere viro, relicta conjuge adultera, alteram sibi superinducere, *lib.* 1. *de Abrah. cap.* 5. *&* 7. *c. nem.* 32. *q.* 4. *& in comment. ad cap.* 16. *Luc. c. an quod* 33. *q.* 2. Ex his dubitari posset, quòd autor dictæ sententiæ non fuerit Ambrosius, sed coetaneus Ambrosio, ut dicit Bellarminus, *de ammiss. Grat. & stat. peccat. lib.* 4. *cap.* 5. quamvis Sixtus Senensis aliter censuerit, *Bibli. Sanct. lib.* 4. & Erasmus diligens librorum censor pro genuina Ambrosii sententia illam habuerit. Sed hoc parùm refert, an fuerit Ambrosius autor allegatæ doctrinæ, vel coetaneus, cùm sufficiat adversariis, eo seculo ejus sententiam obtinuisse, & fuisse usurpatam, ac reperiatur inter canones à SS. PP. receptos. Melior videtur solutio; quisquis fuerit autor capitis, dictum illius non fuisse receptum ab Ecclesia, quia absque injuria Evangelii recipi haud poterat, *Covar. d. l.* sicuti non recepti fuerunt alii similes, si qui sunt.

XLVII. Alter Canon, seu caput est desumptum ex Gregorio ad Bonifacium Episc. ubi, *Quod proposuisti, si mulier in infirmitate correpta* (dicit glossa *arcta d. c. q.* 5. *c. puto*) *non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat conjugalis? bonum est sic permanere, ut abstinentiæ vacaret: Sed quia hoc magnorum est, si ille non poterit se continere, nubat magis: non tamen ei subsidii opem subtrahat, quam infirmitas præpedit, non tamen detestabilis ex culpa excludit, c. quod proposuisti* 32. *q.* 7. *apud Ivonem p.* 8. *c.* 78. Laborant in explicatione hujus canonis Magister, & Glossa: Dicunt, hoc Anglis concessum fuisse, utpotè in fide novis. Deinde dictum Canonem abrogatum fuisse, quia sacris canonibus Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ adversum, *Gratian. ibi*. Hoc tamen non placet: non enim censendum est, S. Pontificem indulsisse resistente Christi doctrina, secundas nuptias. Fernandus verò *lib.* 1. *Thes. script. c.* 47. *num.* 2. dicit, fuisse indulgentiam ad evitanda majora scelera; ita Moses permisisse repudium. Vix tolerabilis hæc responsio, quæ coincidit cum sensu Buceri, *Comm.* 19. *Matth.* Lex Christi, inquit Augustinus, *lib.* 2. *de adult. conjug. c.* 10. Incontinentibus displicet, non tamen propter eos immutanda est. Lex Christi non est dispensatio, sed legis adimplementum, *Matth.* 5. Et respectu Mosaicæ legis

dispar

dispar rerum status. Non enim viget ratio permissorum repudiorum, & si vigeret, non tolleranda esset. Major est gratia novi fœderis, quàm antiqui, & illius proprium est auferre cor lapideum, & dare carneum, *Hier. 31. Ezech. 36.* Dura non reputatur in novo fœdere indissolubilitas conjugalis nexus, sed & cœlibatus cultus suavis censetur. Ulteriùs Matrimonium Christianis Gratiam confert, qua carebant Judæi. Prædictis responsionibus rejectis, sanior doctrina est, Gregorium loquutum fuisse de infirmitate impediente matrimonium, illudque præcedente. Tunc non adest via maritalis nexus, sed solemnitas, quæ veluti accidens, sine substantia perit; nec dicitur Matrimonium, quod irritum est, nec impedit libertatem naturalem, jusque ad nuptias, *Sanchez de matr. lib. 7. disp. 93. num. 8.* Si autem hujusmodi responsio non placet, Covarruvias audiatur, *de matr. 2. p. c. 7. §. 4. in fin.* Gregorii responsum speciale fuit, nec ad universalem definitionem pertinet. Hic canon tamen non benè allegatur ad quæstionem de divortio ex adulterio. Facit tamen tertius canon cujusdam Concilii inserti ejus Decreto à Gratiano, *32. q. 7. cap. 19.* ubi: *Quædam cum fratre viri sui dormivit, & decretum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur, illi verò, cujus uxor stuprata est, licita conjugia non negentur.* Et hujus sensus est Concilium Triburiense, *relat. in cap. 20. d. cap. 32. q. 7. Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire, sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere; si se continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua, vel cum sorore uxoris suæ dormierit, observandum est:* Glossa in c. si quis explicat dictum canonem. *Quædam ex canone si verò, ubi: si autem adultera mortua fuerit, vir ejus, si vult, nubat tantùm in Domino: adultera verò nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir, omnibus tamen diebus vitæ suæ acerrima pœnitentia persolvat.* Canon Triburiensis Concilii explicatur canone 46, ejusdem, ubi: *De uxore, quam vir tollere vita, capitali sententia propter adulterium voluerit; si ad Episcopum confugerit, si à marito vitam obtinere potuit, reddat marito: sin minùs, omninò non reddat; maritus verò, quandiù ipsa vivat, nullo modo aliam ducat.* Tandem allegatur illud Zachariæ Papæ: *Concubuisti cum uxoris tuæ sorore, si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuit, conscia sceleris non fuit, si contineri non vult, nubat in Domino, cui velit; tu autem, & adultera sine spe conjugii permaneatis;* item: *si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire; sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se*

continere non potest. Hic Po: vetaverat anno Christi 543. In synodo Roman. ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, nemo præsumat in conjugio copulare sub Anathematis vinculo, *Baron. ann.* 743. Hunc canonem explicat Glossa, *in verbo nubat*, scilicet, post mortem viri adulteri, vel eo vivente, si erat tantùm sponsa de futuro. At textus dicit: *Uxor*, & à sponsa de futuro adulterium non committitur, ut vidimus. Nec canon dicit: post mortem viri, sed de suo addit Glossa, in quo est tota difficultas. Et canon jubet, uxorem innocentem nubere, dum adulter incestuosus manet sine spe conjugii. Rursus textus dicit: adultera sine spe conjugii permaneat. His difficultatibus fortassè permotus Tolosanus, *prælect. ad tit. de sponsal. lib.* 10. *tit.* 1. *num.* 29. docuit, concubitum cum sorore uxoris suæ matrimonium præcessisse, eoque impedimento postea detecto, neutram habere potuisse. At textus resistit; nam jus esse decernitur à Papa uxori transeundi ad alias nuptias, si conscia sceleris non fuerit, & Glossa ibi explicat: nisi uxor læna, aut conciliatrix adulterii fuerit. Et soror uxoris adultera dici haud poterat, nisi præcessisset matrimonium, ex cujus violatione adulterium oritur. Quid ergo in hac rerum nocte? Dicendum ne est, Zachariam Sanctissimum Pontificem, natione Græcum, græcis moribus imbutum in hac re græcizasse? Absit. Idem namque Po: in responsionibus ad capitula Pipini Majoris domus Franciæ, quem postea aut Consilio, assensu, vel consensu, aut autoritate ad Regnum evexit, *Jo: Paris. de post. reg. & pap. cap.* 14. *Jo: Barel. Vindiciæ &c. lib. cap.* 24. *Dupin. de potest. Eccles. f. m.* 246. hæc habet: *Septimum capitulum de laico pellente suam conjugem ex canone Sanct. Apost. cap.* 28. *si quis laicus uxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur. Et ad cap.* 12. *de his, qui uxores, aut viros dimittunt, respondit, ut sic maneant*, ex Concilio Africano cap. 69. ubi, *Placuit, ut secundùm Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungatur; sed ita maneat, aut sibi invicem reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur*. Quid inde? Verior fortasse est explicatio Tolosani; scilicet impedimentum ex concubitu, cum sorore uxoris præcessisse matrimonio; cujus impedimenti conscia non fuerit uxor. Et quamvis adultera soror dicatur, quando matrimonium adhuc initum non fuerat, forsitan textus usus est voce adultera, ex figura matrimonii subsecuti. Verùm & sponsa adulte-

adulterium committit se stupro subjiciens, *l.* 8. *C. ad l. Jul. de adult. Cujac. obser.* 116. habeturque pro uxore, *l.* 74. *ff. de jur. Dot. Vid. Tiraquel. de leg. controv. in l.* 16. *gloss.* 21. *n.* 11. Si hæc explicatio admittatur, radicitus evellitur omnis difficultas. Certum namque est, Ecclesiam potuisse, per legem inhabiles reddere fideles ad matrimonium contrahendum in quibusdam gradibus, ut definivit Tridentinum Concilium, *sess.* 20. *cap.* 3. *&* 4. *de matr.* quamvis antea hæc quæstio valdè anceps visa fuerit Teppero, *num.* 20. *ante* §. *professionem*, & Soto 4. *d.* 28. *q.* 1. & posteà impugnavit Spalatensis, *d. l. num.* 67. 69. *& alibi*, & ab eo edoctus Launonius, *d. l. p.* 80. 134. *&* 226. *Vide Pallav. Hist. Concil. Trid. lib.* 22. *c.* 1. 4. 8. *&* 9. *& Anonym. ad Launo. ubi suprà*. Potest enim etiam Civilis Respublica, minores inhabiles reddere ad contrahendum sine tutorum autoritate, *inst. de Aut. Tutor. tit.* 21. Quare ex concubitu cum sorore uxoris ortum est impedimentum dirimens subsecutum matrimonium. Actus siquidem vitiatur, quando gestus est contra prohibitionem legis, *l. non dubium, & ibi DD. C. de legibus, in terminis c. contradicimus* 35. *q.* 3. *c. non de consang. c. tua de spons. duor. &c. ad dissolvendum de despons. impub.* Aliàs si Ecclesiæ leges, vel interdicti decretum irritans habentia, eam vim non haberent, ut matrimonio in ea inita, nulla sint; licita essent inter fratres, & sorores contracta connubia, ac inter alios gradus prohibitos, cùm lege naturæ nullæ sint personæ, cognationis, aut affinitatis ratione prohibitæ in matrimonio, quàm pater, & filia, mater, & filius ob naturalem pudorem, *Lev.* 18. *cau.* 35. *q.* 1. Hujusmodi coitus natura præcipiente, & bruta adversantur, *Arist. q.* 9. *histor. animal.* 47. *Ælian. est* 5. *Hist. anim. Plin. lib.* 8. *c.* 42.

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servet pudor. Senec. In Hippol.

Ceterùm jure Romano, etiam fratrum, & sororum liberi matrimonio jungebantur, *Inst. de nupt. duor. fratr. eo. l.* 3. *ff. de rit. nupt.*

XLVIII. Exempla suppeditant sacræ, & profanæ literæ, *Num.* 26. *Exod.* 6. *Levit.* 20. *Liv. de S. Ligur. Cicer. de Chier. & de M. Philosopho, Jul. Capitol. Suet. in Claud. c.* 18. *Tacit. lib.* 5. *anno .... Vide diss. ad l. Celebr. de nupt. Jacob. Gothofred. f.* 12. *& in l.* 1. *si Nuptiæ ex rescript. & C. Theod.* Attamen hujusmodi nuptiæ, etsi per leges permissæ, non tamen promiscuè

miscuè usurpatæ, neque apud omnes satis honestæ visæ: quod sanè, & Augustinus loco, quem mox afferam, scribit: raro per mores factum, quod fieri per leges licebat, ut Libanius ait ὁ ἐν ἐξουσίᾳ πολλοῦ τὸ πρᾶγμα. Hoc etiam inter Christianos invaluit: Filiæ namque Constantini Magni, Constantina, & Helena nuptui datæ sunt. Constantina quidem Annibaliano primùm filio Dalmatii fratris ipsius Constantini: deindè Gallo Cæsari filio Constantii alterius fratri Constantini. Helena verò nupsit Juliano alteri filio dicti Constantii. Theodosius Imp. primus omnium hujusmodi conjugia interdixit, lege sua, quæ nusquam hodie extat, lata ann. 384. *Gothofr. ubi sup. fol. 19. Baron. ad ann. 390.* severissima pœna adjecta, scilicet ignis, & bonorum proscriptionis, quam partim absolvit Arcadius filius scriptam anno 384. vel 385. *Gothofr.* μηδὲ ἴσωσαν ἀνεψιῶν γάμος γεγραφὼς ἐν ἐξουσίᾳ πολλοῦ τοῦ πράγματος ὄντος καὶ τῶν φαινομένων δικαίων οὐ τοῦ χρόνου ἠλαττωτέροις. *Edixisti, etiam, ne consobrinorum nuptiæ essent, cùm id passim liceret: neque iis, quæ tibi justa videbantur, temporis observantia validior fuit, Vid. Liban. orat.* ὑπὲρ τῶν γεωργῶν περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, *Ambros. Epist. 66. ad Pater. leg. 3. c. 7. de incest. nupt. l. unic. si nuptiæ ex res. c. pet. Victor, & alii.* Quod antea, ait D. Augustinus, *de Civit. Dei lib. 15. c. 16.* fieri per leges licebat, cùm non divina prohibuit, & nondum humana prohibuerat, *Vid. Svet. in Claud. c. 26. Dion. in vit. Hercu. §. fraternit. inst. de nupt. l. s. C. de incest. nupt. Theod.* Habes, lector, unde ortum habuerit impedimentum contrahendi inter consobrinos; & tamen apud vulgum quidam horror perdurat quoties hujusmodi matrimonium fit, etiam dispensatione concurrente. Prædictæ tamen legi exceptionem ab ipso Imp. additam opinantur viri docti: *Præterquam si hujusmodi nuptiæ ex rescripto petitæ fuerint*, quibus dissentit Gothofredus *ubi sup.* Attamen è Gothorum Reges licet ea conjugia interdicto sustulissent reservarunt Principi, ait Cassiod. *lib. 7. var. Epist. 46.* tantum beneficium consobrinis nuptiali copulatione conjungendis, ut qui populorum mores regebat, ipsa & moderata concupiscentiæ fræna laxaret. Hanc Theodosii M. Patris Arcadius filius antiquavit, revocando prisci juris autoritatem, *l. celebrantis de nupt.* quam falsitatis arguunt nonnulli; & Honorius alter Theodosii filius, & Occidentis Imp. nonnisi ex rescripto prædictas nuptias permisit. Vide *Cont. Briss. Gothofr. ubi sup.* ita ut Oriens, & Occidens hac in re diverso jure uterentur.

XLIX. Quare autem hujusmodi leges toleratæ fuerint ab Ecclesia

clesia, ea ratio est, quia saltem in Oriente matrimoniorum materias à jure Principum adhuc seu juribus, seu moribus Principum Ethnicorum inhærentium, pendebat. Cæterùm ex origine, fine, & materia, conjugalia res juria Ecclesiastici est, *Pont. de matr. lib. 8. cap. 4.* Nihilominus Ludovicus Imperat. IV. suorum Doctorum, scilicet Marsilii Patavini, & Gujelmi Ockam, doctrina super secundo consanguinitatis gradu dispensavit inter Margaretham Ducissam Karinthiæ, quam ausua fuit à fœdere conjugali exlmere, ut supra visum est, & Ludovicum Marchionem Brandeburgensem, fortasse ea abusus autoritate, qua Impp. Orientis utebantur, *Vide Constit. Ludov. IV. penes Galdast. Const. Impp. t. 2. f. 88.* In Oriente postea à Basilisco permissæ, & à Zenone interdictæ fuerunt hujusmodi nuptiæ, *l. 8. C. de incest. nupt. & ibi Gothofr.* Ecclesia verò, cùm primo ævo solùm à clericatu arceret, qui ἀνεψιὰν, consobrinam duxisset, *c. 18. Apost.* quæ à Græcis ἀδελφίδη dicitur, in Concilio Agathense anno Ch. 506. prædictum conjugium vetitum fuit, illudque incestum dictum, *c. 61. rel. in c. 8. c. 35. q. 2.* Plures rationes hujus interdicti affert jus Canonicum, ex quatuor humoribus, *c. non debet de cons. & affin. c. in quadam, ibi Bernar. de cel. miss. Covar. de matr. p. 2. c. 7. §. 6. nu. 11.* ex sex ætatibus, eo quod ex consobrinorum conjugio soboles non succrescat, *c. ad Sedem 35. q. 5.* quas ridet Beza *de repud. p. 37. & seqq.* Justior ratio afferi potest ex pudore proximo naturali. Quare Apostata Spalatensis, *d. l. 5. c. 11. n. 5.* à quo suam doctrinam hausit, seu transcripsit Launous *d. l. p. 217.* rabido calamo scribit: *Nostri Pontifices, ne viderentur à legibus pendere laicis, suis Decretalibus easdem leges fanxerunt; quæ tamen etiam Decretales inter Christianos planam observationem habebant.* At Div. Thomas *in 4. dist. 42. art. 2. ad 4.* docet, prohibitionem legis humanæ non sufficere ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ autoritas, quæ idem etiam interdicit. Processu temporis D. Gregorius, qui Ecclesiam rexit anno C. 950. quamvis Imperiales leges ad quartum dumtaxat conjunctionis gradum nuptiarum interdicto, se extenderent, *§. duorum instit. ne nupt. l. nemini C. eod.* ad quem Fabianus quoque interdixerat; *c. de propinquis 15.* nuptiarum interdicta ampiificavit ad 7. gradum, *Grat. can. 35. c. fin. q. 8.* Hoc quoque interdictum innovatum fuit in Concilio Romano sub Nicolao I. *Concil. t. 2. f. m. 775.* In Oriente quoque confirmata fuit Synodica decisio Patriarchæ Lucæ, *de nuptiis*

septimi

ſeptimi gradus, ab Impp. Manuele Comneno, & Iſaccio Angelo, *Conſt. Impp. Enim. inter. de nupt. 7. grad.* dictumque interdictum, apud Græcos ſemper viguit, uſque in præſentem ætatem. At cùm dictum interdictum procul dubio eſſet ſeges inceſtuoſarum nuptiarum, ut notat Launojus, *ubi ſup.* Lateranenſe ſub Innocentio Concilium providè omnia impedimenta reduxit ad quartum gradum, *refert. c. non debet de conſang.* Ratio hujuſmodi interdicti, ſeu cauſa multiplex traditur à viris doctis, *Palæot. de Noth. c. 6.* Quia ſcilicet nuptiis neceſſitudines augeri debent, & per eas plurimorum ſocietatem, & communicationem adjungere, vel quia mulieres, propter imbecillitatem multorum ope, & auxilio egentes, idcircò propinquia nubere noluerunt, quod Plutarchua tradit. Sed veriùs, quia naturalia quædam verecundia nobis innata eſt, qua hujuſmodi ſanguinis commixtionem in conjunctis abhorremus, *c. hac cau.* 45. *q.* 8. Si politicam rationem ſpectes, quam ſupra attulimus, vide quomodo eadem rea mutationi ſubjaceat, & quod olim Legislatori placuit, hodie diſpliceat. Præcepit ſiquidem Moſes *Num. 36.* omnes viri ducant uxores de tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu, ut hæreditas permaneat in familiis. Cùm enim in bonis, quæ in unamquamque tribum fuerant æqualiter diſtributa, *Num.* 26. & fœminæ ab inteſtato ſuccedere poſſent, *Num.* 27. curabant idcircò, ut in propria familia nuberent, ne bona in diverſam tribum pervenirent, poſſeſſioque antea rectè diviſa conturbaretur, aliæneque familiæ compleatiores redderenturque, *Ruth.* 4. *Tbob.* 7. *Auguſt. de Civit. Dei lib.* XI. Hodie abrogata politica Moſaica inſtitutione, inter aſcendentes, & deſcendentes in infinitum nuptiæ vetitæ ſunt, *Hoſtienſ. in ſumm. de conſang. & affinit.* & inter eos, qui ex tranſverſo nobis latere junguntur, uſque ad quartum gradum interdicta connubia. Et adeò prædicta interdicta maritalia valent, ut per eadem innumera matrimonia dirempta, & nova contracta. Chilpericus Gallorum Andevederam repudiavit, prætextu ſpiritualis cognationis, *Robert. Gaguin. lib.* 2. Henricus imp. Hasburgin conjugem propter ſanguinis vinculum dimiſit, Sigiſmundi Halberſtadenſis Epiſcopi autoritate. *Chron. Merſburgenſe, & Crantzius*. Henricus Leo Saxonum Dux Clementiam uxorem, poſtquam filiam ex ea ſuſcepiſſet, ſanguinis prætextu abjecit, *Chron. Sclav. lib.* 2. *cap.* 10. Almericus, Balduini III. Regis Hieroſolymorum frater à Patriarcha Hieroſolymitano, & à Jo: Cardinale Pontificio Legato, conjugem, quæ quarto gra-

da

du eum attingebat, abjurare coactus fuit, *Gul. Tyr. lib.* 19. *cap.* 4. Anglorum Rex Joannes ob propinquitatem repudiavie, filiamque Comitis Engolimensis sibi junxit, *Æmil. lib.* 6. Sueno Danorum Rex uxorem Llutam Svecorum Regis filiam Pontificum censura coactus est ob consanguinitatis vinculum deserere, *Jo: Maz. lib.* 18. *cap.* 10. Jacobus Aragonum Rex, Alienoram filiam Adelphonsi Regis Castellæ duxit uxorem, & genuit ex ea filium Adelphonsum, sed per Joannem Apostolicæ Sedis Episcopum Cardinalem fuerunt separati, ob consanguinitatem, filio interim per eundem Legatum legitimato, *Roder. Tolet. lib.* 6. *rer. Hispan. c.* 5. *Vide Llondell. de formul. Regnante Christo sect.* 2 *Ivo Corn. Epist.* 19. *Sigeb. Aim. lib.* 4. *c.* 49. *Glesc. t.* 1. ubi plurima exempla divortiorum. Quare universam ab Initio Ecclesiam intolerabilis impietatis ream faceret, qui ejusdem interdictis effectum denegaret, *Albert. Pigh. controv.* 15. *s. quod si*: Hinc est, quòd Zacharias Po: in d. decreto ob impedimentum dirimens, per leges inductum, decrevit illum, qui rem habuerat cum sorore uxoris, neutram habere posse, uxori verò jus fuisse ad alias nuptias. Nec in hujusmodi casibus Papa, aut judex autoritate Papæ matrimonium aliquod dissolvit, sed matrimonium, quod de facto contractum erat, & matrimonium esse falsò credebatur, non fuisse matrimonium, sententia sua declarat: & personis non legitimè conjunctis, quòd cubilia sociare sine scelere nequeant, à se abscedere, & solita consuetudine abstinere præcipit. Ita pariter in casu coactarum nuptiarum, conjugale siquidem fœdus solo amoris consensu contrahi debet; quia amor ipse nullius subjicitur imperio. Hoc autem non est solvere matrimonium, aut personas legitimè conjunctas separare. Possunt enim, ut dictum est, constitutiones Papæ impedire, ne matrimonium inter certas personas jure contrahatur, & efficere, ut sit nullum, quod contrà illarum dispositionem contractum est. At jure contractum distrahere, & ejus vinculum dirimere, ac dissolvere, nulla neque Ecclesiæ, neque Papæ Constitutio potest. Hinc iure à Berclajo, *de potest. Papæ cap.* 29. reprehenditur Jo: Andreas, qui fons, & tuba juris Canonici vocatur, glossans rescriptum Innocentii III. *cap.* 2. *de transl. Episc. Quos Deus conjunxit, homo non separet*, inquit, *sua autoritate*, *non autem separet homo carnale matrimonium, cùm Episcopus, vel etiam Archidiaconus per constitutiones Papæ dissolvit, sed ipse Deus, cujus autoritate facta sunt*; quasi per Constitutiones Papæ dissolvi possit matrimo-

trimonium, ut ineptè voluere Decius, *in cap. quæ in Ecclesiarum col.* 5. *de const.* Guat. *conf.* 1. & Lofref. *conf.* 50. Autoritatem similia statuendi sibi arrogarunt Orientis Principes. Basilius Macedo Imp. vetat quartas nuptias, *Novell.* 1. Idemque constituit Constantinus in Porphyra natus, *Novell.* 1. Alexius Comnenus, qui liberas fecit nuptias inter Patruum, & filium fratris cum Amita, & fratris filia, ut etiam refert Balsam. *medit. lib.* 8. *pen. Leuncl. f. m.* 466. *ubi: sed clarissimi Principis D. Alexii Comneni sacrum Edictum prolatum, ad suggestionem Bardæ cujusdam, qui xerus appellabatur, & receptum tam in Republicæ, quàm in Ecclesiarum archivia, & codices ejusmodi nuptias liberas fecit, pro ea potestate, quæ cælitus est Imperatoribus data.* Sanxit Leo Imp. ne intra septimum ætatis annum sponsalia inirentur, neque ante xv. maribus, & xiii. fœminis conjugium, solvitque matrimonium ex conjugis, ut diximus, furore, *Const. CX. & CXI.* Idem sanxere Boconiates, & Basilius Impp. *Const. Imp. Enid. interp.* Alexius Comnenus sponsalia diremit, absque precibus contracta, *Novell.* 3. ut antea Justinian. *Novell.* 74. decrevitque Amitæ, & fratris filiæ cum filio fratris, & patruo tamesi cognatione sexti gradus tunc temporis prohibiti, & affinitate se se attingerent, *lib.* 2. *Novell. Imp. pen. Leunc. f.* 138. Manuel Comnenus Edicto dissolvit matrimonium contractum cognatione septimi gradus, *ibid. f.* 165. & Judæos Christianas uxores accipere vetuit, *Attaliat. synops. tit.* 3. *ex lib.* 1. *Basil.* neve Præsides in Provincia matrimonium contrahere possent constituit, *ibid. tit.* 24. *ex lib.* 28. *Basil.* ubi plures prædictorum Principum Constitutiones ad rem præsentem uti in utroque Codice, & in Pandectis Christianorum, *sub tit. de nupt. incest. & inutil. nupt. de interd. matr. &c.*

L. Quo autem jure hujusmodi leges factæ fuerint, jam diximus: & vide Anonym. *observat.* 11. *in Launo.* His adde, Vir Doctissime, ex antiquitatis monumentis, quæ addi possunt, tum ex œconomica doctrina, *Arist.* 8. *Ethic. cap.* 9. tum ex politica, *Wolfang. synops. jur. gent. cap.* 2. tum ex perfectione Christianæ religionis, *Luc.* 16. *Wolfang. ubi sup. Gr.* 7. *B. & P. l.* 2. *cap.* 4. omnibus omnimodam indissolubilitatem sacri conjugii suadentibus, *Seld. Uxor. Hebr. dd. ll.* Alioquin quæ spurcissima libidum fœcunda messis, si tot nuptiæ, totque repudia vario fuco, quot dies, *P. Ærod. d. l.* 4. *tit.* 17. *cap.* 2. Hinc prudentissima existimatur divortiorum coercitio, sive ad libidinis ansas evitandas, successionumque labyrintos, sive

ſive publicam, ſive privatam utilitatem ſpectes, *Seld. d. l. c.* 33. Verùm tu, qui non vulgari vocabulo à ſapientibus adeptus, ac Arcanorum Myſta indigitaris, ſtatim ex ipſius ſacri nexus intrinſeca bonitate illum indiſsolubilem deprehendis. Natura, rerum antiquiſſima principia, quodam conjugio inſolubili nectit; in quibus materia fœminæ, forma verò mariti vices agit. Animus hominis, divini luminis radius immortalis ,' indiviſibilitate gaudet. Mens enim, ac pars illa intelligentiæ particeps eſt veluti maritus, cupiditas quaſi fœmina in indiſsolubili ſpiritali entitatis conjugio, *Bod. de Rep. lib. cap.* 3. Hoc dici poteſt πρωτότυπος carnalis conjugii, quoad indiſsolubilitatem. Cepta namque per divinum opificem conditione, ſeu explicatione Mundi, qui patens occultæ divinltatis imago eſt, latoque de luce decreto: *fiat lux*: quia vidit, quòd eſset bona, ad cætera opera proceſſit, *Geneſ.* 1. Quare ex rerum antiquiſſimis principiis, ex animo hominis, aliiſque tuæ ſapientiæ notis indiſsolubilitatis argumentum. Hinc Eva ex Coſta Adami ædificata, indiſsolubile inter eos finxit ſummum πλάσις, conjugium. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, &* προσκολληθήσεται, *conglutinabitur*, ut aptè vertit Tertullianus; Hebræum enim דבק *daboc*, ſignificat arctiſſimam conjunctionem. Auxit tandem indiſsolubilitatis conjugii vim Μυστήριον, carnalis ſocietas contraxit ſpiritualitatem, abjitque in Sacramentum. *Sacramentum hoc magnum eſt*, inquit Paulus, *ad Epheſ.* 5. Ego autem dico εἰς Χριστὸν καὶ εἰς ἐκκλησίαν. Et in Commentario S. Ambroſio attributo, *Myſterii Sacramentum grande in unitate viri, & fœminæ eſſe ſignificatur*. Sed hic ridet Calvinus à nobis meritò ridendus, *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 39. docens non magis Sacramenti rationem convenire matrimonio, quàm agriculturæ. Et Arniſæus aſsecla, hæc Sacramentalis ratio ait, nimiùm probat, aut nihil, *de ſolut. matrim. cap.* 5. Sed ejus argumenta vix quicquam concludunt. Hic tandem, lector humaniſſime, colligas oro, quot diverſa, diſsonantia, ac inter ſe pugnantia jura connubialia penes omnes gentes finxerit, aut quot ritus, mores, conſuetudines in Scholas, in Fora, & in Eccleſiam invexerit, vel hominum libido, vel utilitas; ut inde inferas, his Rectoribus ferè omnia ſublunaria regi, & ab his vim etiam ſacris fieri. Beneficium feriarum jam tempus omnium edax, inſumpſit, & Eorum advocat. Vale diù doctiſſime Vir; tibi Artephii annos precor.

CONSTITUTIONES IMPERATORUM ORIENTIS,

QUÆ DIVORTIATORIAM REM ILLUSTRANT.

Imp. ALEXANDER A. Abutiniane.

CASUS. Si maritus deportetur, non dissolvitur matrimonium, si propter status mutationem viri, mulier affectionem suam non mutavit. An autem constante matrimonio possit dotem repetere? Respond. quòd licet non jure stricto, de æquitate tamen sibi concedenda est; nec laudabile propositum suum, scilicet, quòd non vult divertere à marito, ei erit impedimento, quo minùs repetat dotem à fisco bona occupante.

MAtrimonium quidem deportatione, vel aquæ, & ignis *a* interdictione non solvitur, *b* si casus, in quem maritus incidit, non mutet uxoris affectionem. c Ideoque dotis exactio ipso jure non competit: *d* sed indotatam eam esse, cujus laudandum propositum est, nec ratio æquitatis, *e* nec exempla permittunt. PP. Nonis Novembr. Alexandro A. III. & Dione Conss.

a Vel aquæ, & ignis.) vel pro id est, nam pro eodem ponitur, ut ff. ad legem Jul. pecul. l. 3. *b* Non solvitur.) si constat matrimonium, ergo habet filios in potestate natos, & nascituros, ut instit. de pat. pot. in princ. Sed contra probatur, quia si prius habebat, amittit, ut instit. quibus mod. jus pat. potest. solvi. §. cùm autem. Item quia potestas patria, propria est Romanorum civium, ut ff. de his, qui sunt sui, vel alieni ju. l. item in potestate. Sed hic civitatem amittit, & apolis dicitur, ut ff. de leg. 3. l. 1. §. deportatos, & §. 2. quibus, & ff. de pœ. l. quidam: Non ergo habet jus patriæ potestatis? Resp. ad hoc, quod est specialis casus, ubi natus ex matrimonio non est in potestate; & quòd generaliter dicatur in potestate nasci, intelligitur quando nullus mutavit conditionem.

Item

Item videtur matrimonium ſolvi, ut ff. ſoluto matrimo. l. ſi quis ſic ſtipuletur. Solv. ibi affectionem mutavit mulier repudiando eum, ut hic ſubjicit.

c Affectionem.) quam habet uxor erga virum.

d Non competit.) mulieri ipſo jure, quia matrimonium durat, ſed de æquitate agit, & petit à fiſco, ut ſubjicit; & eſt ſpeciale, quòd durante matrimonio petatur; ſic & ſupra de jure do. l. ubi. Sed contra. ff. de bon. dam. l. ſed & ſi, ubi demum morte interveniente agitur. Solv. ibi mulier fuit deportata, hìc vir.

e Æquitatis.) invadente fiſco bona, & per conſequens eſt æquum eum teneri, ut jam ad leg. Jul. de vi. l. 2. ff. ſol. matri. l. ſi marito, in prin. & facit in authen. de nupt. §. deportatio, coll. 4. & ff. de capti. l. non ut à patre, & ſupra tit. 1. l. res uxoris, & ff. eo. l. 1.

Impp. VALERIAN. & Gallienus AA. & Valerian. Cæſ. Paulinæ.

Liberum eſt filiæ tuæ, *a* ſi ſponſum ſuum poſt tres peregrinationis annos expectandum ſibi ultra non putet, omiſſa ſpe hujus conjunctionis, matrimonium facere: *b* ne opportunum nubendi tempus amittat: cùm poſſit nuncium remittere, *c* etiam ſi præſente illo conſilium mutare voluiſſet. PP. VII. Kal. April. Æmiliano, & Baſſo. Conss.

Liberum.) CASUS. Si filia tua cum aliquo ſponſalia contrahat, an illo peregrinante, nec intra triennium revertente, ne nubendi tempus amittat, poſſit cum alio contrahere, quæritur? Dicitur, quòd ſic, quia & ſic ſponſus præſens fuiſſet, potuit mulier ſibi miſiſſe nuncium repudii.

a Filiæ tuæ.) ò mater. Accurſius.

b Facere.) cum alio etiam non miſſo repudio, ſecundum R.

c Remittere.) præſente eod. & hoc eſt poſt biennium, ut ſupra de ſponſal. l. 2. Dico ergo, ſi non eſt arrha data, quandocunque poteſt mittere repudium, ut ſupra de ſpon. l. 1. ſed ea data ante biennium inter præſentes, ante triennium inter abſentes non poteſt, quin patiantur pœnam arrharum, ſecundùm quod poſt ſtipulæ ſunt, ut hic, & d. l. ſup. de ſpon. l. 2. & l. fi. & hoc quando non eſt juſta cauſa ultra differendi; aliàs etiam ultrà triennium expectant, ut. ff. de ſpon. ſæpe;

&

& hoc in ſponſalibus, uxor enim, cùm certum ſcit virum vivere, non nubit, ſi verò incertum, quinquennium expectat à tempore captivitatis, ut ff. eod. l. uxores.

Impp. DIOCLET. & Maxim. AA. Tullio.

Dubium non eſt, omnia omnino, quæ conſilio rectè *a* geruntur, jure meritoque effectu, & firmitate niti. Quare ſi tu dotem pro muliere dediſti, & ex morte *b* ejus repetitionem ſtipulatus es, circumſcribendi autem tui cauſa ficto repudio matrimonium brevi tempore reſciſſum eſt, res dotales, quas ante nuptias obtuliſti, Præſes provinciæ recipere te non dubitabit. *c* Certum eſt enim daturum operam moderatorem provinciæ, ut, quæ contra fas geſta ſunt, fructum calliditatis obtinere non poſſint: *d* cùm nobis hujuſmodi commenta diſpliceant. Immaginarios enim nuncios, ideſt repudia, nullius eſſe momenti, ſive nuptiis fingant ſe renunciaſſe, ſive ſponſalibus, etiam veteribus juris autoribus, placuit. Dat. II. Kal. Septemb. Tiberiade; ipſis AA. & CC. Conss.

Dubium,) CASUS. Pater dedit dotem pro filia, & ſtipulatus eſt, eam ſibi reddi ſoluto matrimonio; morte, mulier finxit ſe velle divertere à marito ſine culpa mariti, ſed ſua, ut ſic maritus dotem lucraretur; an talis dolus filiæ, obſit patri, quæritur? Dicitur, quòd non, quia talis fraus Principi diſplicet, & ideò firmitatem non habebit, quia tantùm ea debent obtinere firmitatem, quæ rectè, & cum conſilio geruntur; unde Salomon: Omnia fac cum conſilio, & non pœnitebis; unde non obſtante tali fraude, poteſt Pater dotem repetere in caſu ſolu. matrimo. morte.

a Rectè.) i. rite ſecundum ſolemnitatem, qua debent. & eſt ſic infra de appella. l. nominationes, & extra de his, quæ fi. à prælat. cap. novit, & 15. q. 7. c. epiſcopus, & diſt. 84. c. pervenit.

b Ex morte.) i. ſi decederet in matrimonio, & ita in caſu divortii non fuiſti ſtipulatus; ſic & ff. ſolu. matrim. ff. cum dotem.

c Non dubitabit.) utili actione, licèt illa dolo fecerit, quominus conditio ſtipulationis exiſtat, ut ff. ſolu. matr. l. filiæ, & ff. eo. l. ſi filia.

d Non poſſint.) No. ſic & ſupra de uxo. mili. l. 2.

Iidem

Iidem AA. & CC. Pisoni.

Filiæ.) Casus. Si mater solveret matrimonium filiæ, ea invita, non est audienda. a Non est.) ut sup. de inof. testa. filia, nec patris, ut ff. de do. inter virum, & uxo. l. cùm hic status, ſ. si socer, & infra, l. proxi. sed sponsalia dirimere potest pater, ut ff. de spon. l. in potestate.

Filiæ divortium in potestate matris non est. a Dat. III. Kal. Januar. Sirm. CC. Conss.

Iidem AA. & CC. Schyroni.

Dissentientis.) Casus. An pater, qui ab initio consensit matrimonium filiæ suæ, quam habebat in potestate, invita ea possit id dissolvere, quæritur? Dicitur, quòd non, nisi ex justa causa suum sponsum repudiaverit. Sed ponamus, quòd filia secuta voluntatem patris diverterit à marito, an possit cogere eam invitam pater redire? Dicitur, quòd non. Filiæ verò emancipatæ matrimonium nullo modo dissolvere potest pater.

Dissentientis Patris, qui initio consensit Matrimonio, cum marito concordante uxore filiafamilias, ratam non haberi a voluntatem. D. Marcus pater noster religiosissimus Imperator constituit: nisi magna, & justa causa interveniente hoc pater fecerit. Invitam autem ad maritum redire, nulla juris præcipit constitutio. Emancipatæ verò filiæ, pater divortium in arbitrio suo non habet. b Dat. V. Kal. Septemb. Nicomediæ. CC. Conss.

a Non habet.) ne benè concordantia matrimonia pater distrahat, ut ff. de li. exhi. l. 1. ſ. fin. & sup. de inoff. test. l. filia, & l. cum te, & dixi sup. l. prox.

b Non habet.) facit jam de nupt. l. si ut proponis 2. & ad princ. l. aptatur, authent. è contra &c. quæ est ex corpore de nuptiis, §. est quoque col. 4.

Imp.

Imp. CONSTANTINUS A. Dalmatib.

Uxor.) CASUS. Si marito in militiam profecto, nec etiam ante quatuor annos reverso, ita ut uxor nesciat vivat, aut non, & velit ad secundas nuptias convolare, & ducem sub quo militabat maritus, consulat de marito: an possit, quaeritur? Dicitur quod sic: nec dicetur in l. Jul. de adulte. incidisse: nec dotem amittet: nec clandestinas nuptias dicetur contraxisse: nisi mulier habuit conscientiam alieni thori: quo casu furtivae essent nuptiae.

Uxor, quae in militiam profecto marito post interventum annorum quatuor nullum sospitatis *a* ejus potuit habere indicium, atque ideò de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen antè nupsit, quam libello ducem *b* super hoc suo voto convenit *c*, non videtur nuptias iniisse furtivas, nec dotis amissionem *d* sustinere, nec capitali poenae esse obnoxia, quae post tam magni temporis jugitatem non temerè, nec clanculo, sed publicè contestatione deposita nupsisse firmatur.

Ideoque observandum est, ut si adulterii suspicio nulla sit, nec conjunctio furtiva detegatur: nullum periculum ab his quorum conjugio erant copulatae, vereatur; cum si conscientia maritalis tori furtim esset violata, *e* disciplinae ratio poenam congruam flagitaret. Da. Nesso Feliciano, & Titiano Conss.

a Sospitatis.) i. an esset mortuus an vivus.
b Ducem.) sub quo militavit.
c Convenit.) in quaerendo virum an viveret.
d Amissionem.) imò recuperabit eam ab haeredibus.
e Violata.) ab aliquo. Nota ergo adulterium non fieri sine dolo, & mala conscientia, sic. ff. de adult. l. miles. §. pen. & l. pe. & sic prosunt, & sunt arg. ad quaestionem, qua quaeritur de eo, qui cognovit conjugatam credens solutam, & facit exempli de sec. nupt. l. dominus, & 34. q. 1. c. 1. Sed contra. ff. eo. l. uxores, & in auth. de nup. §. sed etiam captivitatis, coll. 4. quibus dicitur de quinquennio. Solv. ibi in captivo, hic in milite. Item contra in auth. de nupt. §. novimus. ubi de militante dicit, & de decennio. Solv. illa corrigit istam: sed & illa corrigitur per aliam, quae est in authent. ut lic. ma. & aviae. §. quod autem, col. 8. ex qua sumitur ea, quam hic habes, hodie, &c. quae dicit in infinitum expectari. Accur.

CON-

CONSTANTINI M. *Constitutio de justis Repudii causis: deque injusti pœnis.*

1. ª Imp. CONSTANTINUS A. ad Ablavium ᵇ PF. P.

PLacet, mulieri non licere propter suas pravas cupiditates marito repudium mittere, exquisita ᶜ causa, velut ebrioso ᶜ, aut aleatori ᶜ, aut mulierculario ᶜ: nec verò maritis per quascumque occasiones uxores suas dimittere. Sed in repudio mittendo à *fœmina*, hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium ᶜ, vel sepulchrorum dissolutorem ᶜ, maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem recipiat: Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam usque ad acuculam ᵈ capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In *masculis* etiam, si repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conveniet, si mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem ᶜ repudiare voluerit: Nam si ab iis criminibus liberam ejecerit ᵉ, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere. Quod si fecerit, priori conjugi facultas dabitur ejus domum invadere, & omnem dotem posterioris uxoris ad semetipsam transferre pro injuria sibi illata. Dat. III. Non. Maji, Basso & Ablavio coss. (331.)

N O T Æ.

ª *Abest hæc lex à Cod. Just. de causa mox viderimus. Memorat eam Papianus* lib. Respons. 4. 22. *Sublatæ sunt* hujus l. *ut & proximè* sequentis *pœnæ*, Novella de repudiis, 17.

ᵇ Ablavius *hic PP. fuit sub Constantino Magno A. D.* 326. 330. 331. 333. *v. Prosopogr. Theodos. De eo Eunapius* in vita Ædesii, p. 40. 44. 47. *Zosimus*, lib. 2. p. 692. *Hieronymus*, Chronico. *Domum ejus Constantinopoli memorat Synesius* ep. 61. *de ejusdem Consulatu, vid.* Consularia.

ᶜ *In Mss. Seld.* violatorem.

ᵈ Acticulam *in Ms. Seld. malè*.

ᵉ Aliquis, *add. Mss. Seld.*

ᶠ *Magna diversitas in Mss. circa hunc diem*: *alii* III. Kal. Jul. *alii* x. Kal. Jun.

ᵍ *Hanc primam Interpretationis sententiam usurpat* formularum secundum legem Romanam *Autor*.

HONORII *Imp. constitutio, de Pœnis injusti repudii: Justi contra, præmiis.*

II. * Impp. HONOR. & Theod. & Constant. * AAA. Palladio PF. P. "

MUlier, quæ repudii se dati oblatione" discesserit, si *Nullas* probaverit divortii sui *causas*, abolitis donationibus, quas sponsa perceperat, etiam dote privetur, deportationis addicenda snppliciis: cui non solùm secundi viri copulam, verum etiam postliminii " jus negamus. Sin verò *Morum* vitia, ac mediocres culpas mulier matrimonio reluctata convicerit, perditura dotem, donationem viro refundat, nullius unquam penitus socianda conjugio, quæ ne viduitatem stupri procacitate commaculet, accusationem repudiato marito jure deferimus. Restat, ut si *Graves causas*, atque involutam criminibus magnis conscientiam probaverit, quæ recedit, dotis suæ compos, sponsalem quoque obtineat largitatem, atque à repudii die post quinquennium nubendi recipiat potestatem: tunc enim videbitur, sui magis viri id execratione, quam alieni appetitione fecisse. Sanè si divortium prior MARITUS objecerit, ac mulieri *grave crimen* intulerit, persequatur legibus accusatam, impetrataque vindicta, & dote potiatur, & suam recipiat largitatem, & ducendi mox alteram, liberum sortiatur arbitrium. Si verò *Morum* est culpæ, non criminum, donationem recipiat, & dotem relinquat, aliam post biennium ducturus uxorem. Quod si matrimonium *solo* maluerit separare *dissensu*, *nullisque* vitiis, peccatisque gravetur exclusa, & donationem vir perdat, & dotem, ac perpetuo cœlibatu insolentis divortii pœnam de solitudinis mœrore sustineat, mulieri, post anni metas, nuptiarum potestate concessa. Super retentionibus autem dotium *propter liberos* juris antiqui præcepimus cauta servari. Dat. VI. " Id. Mart. Rav. Eustasio, & Agricola coss. (421.)

NOTÆ.

* *Et hæc lex abest à Cod. Just. excepta unica ejus sententia.*
* Et Constantius. *Rectè hoc additum: de Constantio hoc Placidiæ marito Valentiniani III. Imp. patre, in Imperium adscito, vid. Chronicon nostrum.*

" Palla-

Palladius *hic continuè sub Honorio PP. fuit per septennium, A.* 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. *& quidem Italiæ, vid.* Prosop.

Lex, si mulier 35. Cod. ad leg. Jul. de adulteriis, *hinc desumpta est.*

Indicat libellum repudii τὸ ἀποςάσιον.

De hac Postliminii *voce mox.*

SECUNDA *pars* hujus leg. *de* Marito *repudium mittente.*

XII. Kal. Mart. *Ita Cod. Just.* d. l. 35. *In Aniano, & aliis Mss. quibusdam Codicib. VII. Id. Novemb.*

Impp. THEOD. & Valentin. AA. Hormisdæ P. P.

Consensu *a* licita matrimonia posse contrahi, contracta, nonnisi misso repudio *b* dissolvi, præcipimus. Solutionem etenim matrimonii difficiliorem *e* debere esse, favor imperat liberorum. *d* Causas autem repudii hac saluberrima lege apertius *e* designamus. Sicut enim sine justa causa dissolvi matrimonia justo limite prohibemus: ita adversa necessitate pressum, *f* vel pressam *g* quamvis in fausto, *h* attamen necessario auxilio cupimus liberari.

Si qua igitur maritum suum adulteram, *i* aut homicidam, aut veneficum, vel certè contra nostrum imperinm aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, *k* aut plagiarium, vel ad contemptum sui, domusve suæ *l* ipsa inspiciente cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exsperat) cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se *m* verberibus *n* (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit: tunc repudii auxilio, uti necessario ei, permittimus libertatem, & causas dissidii legibus comprobare.

Consensu.) Primo ponit exordium & rationem legis condendæ usque ibi. Si qua igitur. Secundo enumerat causas propter quas uxor potest divertere à viro; usque ibi, vir quoque.

Tertio enumerat, causas, propter quas vir discedere potest, usque ibi, hæc nisi. Quarto ponit diverteotem sine causa, vel causam non probantem, usque ibi, servis. Quinto ponit per quas personas, & quomodo probari possit, usque ibi, si verò. Sexto providet liberis lucrantis, usque ibi, pactiones. Septimo annullat

nullar pacta huic legi contraria, usque ad fin. Sali.

Casus. Licet, solo consensu contrahatur matrimonium, non tamen solo consensu dissolvitur, nisi misso libello repudii prius, vel nisi aliqua ex causis in præsenti. l. expressis inciderit. & hoc favore liberorum. Si ergo maritus, vel uxor in aliquam earum inciderit, impune alter ab altero discedere potest, si nec ulla earum interveniente mulier à viro divertat, vel de aliqua maritum accusaverit, nec probaverit, amittet dotem, & donationem ante nup. nec intra quinquennium alii nubet, quod si fecerit, erit infamis, nec dicetur connubium illa conjunctio, sed qui talem conjunctionem accusare voluerit, liberam habeat facultatem, si verò causam probavit, dotem recuperat, & donationem ante nupt. & lucro suo cedat, & post annum nubat, ne de partu dubitetur, cujus fuerit. f. an primi, an sequentis mariti. Si verò viri uxori aliquid de prædictis objecerit, & probaverit, dotem lucratur, & donationem ante nup. & statim uxorem ducat, si velit. Si verò non interveniente aliqua de prædictis causis eam dimittat, dotem, & donationem amittat, & servus, vel ancilla si sit pubes (si aliter probari non possit an adulterium commisit) torqueatur, ut sic veritas eruatur: quia, quæ in domo geruntur, magis per domesticos, quàm per extraneos sciri possunt (SI VERO.) Si vir, aut mulier temerè repudium miserit, filio, aut filiis, sive filia, aut filiabus ex matrimonio extantibus, quicquid ex nuptiis lucratum fuerit, vel per dotem, vel per donationem propter nuptias, illud filiis, & filiabus post mortem parentis reservabitur, data electione, tam viro, quam mulieri, quem filiorum velit instituere in dotem, vel donationem, vel cui eam dare voluerit, & si aliqua pacta facta fuerint adversus huius legis statura, puta, quam mulier pepigit de non amittenda dote, vel vir de non amittenda donatione propter nuptias, si in aliquam causam prędictarum incideret, nullam obtineant firmitatem, No. ex hac l. ibi exasperat, quod nihil enim, quod tam exasperet uxorem, nisi impudicitia viri. Not. secundo ibi fautricem, & vid. quod not. in c. 1. de pœnis, in clemen. ubi habes glo. magistram. No. tertio. ibi, in dignam, quod debet carere connubio, quo se indicat indignum. Quarto no. ibi, adierint, à contrario sensu, quod si filius adisset, non posset revocare factum patris, quod dic. ut supr. de rei ven. l. cum à matre. Bal. hic.

a Consensu.) solo sine aliqua solemnitate, & hoc liberorum favore, ut hic dicit, sed in casibus specialibus scriptura exigitur,

tur, ut instit. de nup. §. fin. & sup. de nup. authent. sed novo jure. & authent. maximis.

b Misso repudio.) & sic cum solemnitate, & justa interveniente caus.

c Difficiliorem.) quod contrahere.

d Liberorum.) arg. ff. de rit. nupt. l. qui in provincia.

e Apertius.) quàm olim essent.

f Pressum.) virum.

g Pressam.) uxorem.

h Infausto.) id est malo omine, sive in fortunio. nam spes fuit individuitatis, ut instit. de pa. potest. in prin. sed aliquid sinistrum evenit, quod & causam dat dissidii, quod in præsentia septem testium fieri debet, ut ff. eo. l. nullum.

i Adulterum.) videtur contrarium ei, quod dicitur 33. q. 2. c. quidquid, & in Lombarda, si quis uxorem suam amiserit. l. nulla liceat. ubi dicit ex alia causa non dirimi, nisi causa fornicationis, & ad hoc in authe. de nup. §. minores, & §. si igitur, & §. rursus, & §. si vero, colla. 4.

k Abactorem.) i. abigeum.

l Suæ.) mulieris.

m Se.) s. uxorem.

n Verberibus.) ad hæc aptatur authent. sed novo jure, &c. quæ est in auth. ut li. ma. & a. §. si quis in sua domo, & §. causas, & §. si quis autem propriam, col. 8.

Imp. Anastasius A. Theodoro. PP.

SI constante *a* matrimonio, communi consensu *b* tam viri, quàm mulieris repudium sit missum, quo nulla causa continetur, quæ consultissimæ constitutioni divæ memoriæ Theodosii, & Valentiniani inserta est: licebit mulieri non quinquennium expectare, sed post annum ad secundas nuptias convolare. Da. XV. Kalend. Mart. Anastasio. A. II. conss.

Si constante) Casus. Si maritus, & uxor ensenserint de dissolvendo matrimonio, mulier non expectabit usque ad 5. ann. sed post annum poterit convolare ad secundas nuptias, si nulla causa intervenerit ex illis, quæ in l. consensu, continentur.

a Si constante.) hæc est Anastasii, superior Theodosii, sequentes duæ Justiniani, de quibus omnibus meminit supr. de rei uxo. act. in fin. Sed hodie hæc lex corrigitur, & sic sequitur authent.

authent. quod hodie , &c. quæ eſt ut lic. ma. & aviæ. ſ. quia verò ex conſeuſu , coll. 8. & facit. ſup. de nupt. l. neque ab initio .

b Communi conſenſu.) in hoc differt à ſuperiore lege , quia ſupra propter delictum alterius.

In Authent. ut lice. mate. & avia. ſ. cauſas, collat. viii. conſtit. fin. aliàs. §. quia verò quadam, in fin.

SEd novo jure vir, qui ſine cauſa hoc fecerit , *a* ex alia ſubſtantia ſua etiam conſtante matrimonio tantum dabit uxori, quantum tertia pars facit antenuptialis largitatis , ſed matrimonium ob id non ſolvitur .

Vir quoque pari ſine claudetur , nec licebit ei ſine cauſis apertius *b* deſignatis propriam repudiare jugalem. Nec ullo modo expellat niſi adulteram , c vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut ſepulchrorum diſſolutricem , aut ex ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, aut latronum fautricem, aut extraneorum virorum ſe ignorante, vel nolente convivia appetentem, aut ipſo invito ſine juſta , & probabili cauſa foris *d* ſcilicet pernoctantem ; vel circenſibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis in ipſis locis, in quibus hæc aſſolent celebrari, ſe prohibente gaudentem, vel ſibi veneno, vel gladio, aut alio ſimili modo inſidiatricem, vel contra noſtrum imperium aliquid machinantibus conſciam , ſeu falſitatis ſe crimini immiſcentem invenerit , aut manus audaces ſibi probaverit ingerentem; tunc enim neceſſario ei diſcedendi permittimus facultatem, & cauſas diſſidii legibus comprobare.

Hæc niſi vir , & mulier obſervaverint , *e* , ultrice providentiſſimæ legis pœna plectentur . Nam mulier ſi contempta lege repudium mittendum eſſe tentaverit: ſuam dotem ,

a Sed novo.) Hoc fecerit, id eſt uxorem verberibus affecerit.

b Apertius.) quàm olim eſſent.

c Adulteram.) quoniam non poteſt eam accuſare, niſi ſe inſcribit, ut in auth. ut li. ma. & a. ſ. quia verò plurimas, coll. 8.

d Foris.) niſi fuerit apud proprios parentes, vel alios qui ſunt ſine ſuſpitione, vel niſi vir eam de domo ſua ejecerit, ut in auth. ut li. ma. & aviæ. ſ. quia verò plurimas, col. 8.

e Obſervaverint.) quæ divertant ſine cauſa.

f Poſt annum.) ut ſupr. de ſecun. nupt. l. 2.

g Interdicta.) ſupr. ea. l. ſ. vir. quoque.

dotem, & ante nuptias donationem amittat, nec intra quinquennium nubendi habeat denuo potestatem. Æquum est enim eam interim carere connubio, quo se monstravit indignam. Quòd si præter hæc nupserit, erit ipsa quidem infamis: connubium verò illud nolumus nuncupari. Insuper etiam arguendi hoc ipsum volenti concedimus libertatem. Si verò causam probaverit intentatam, tunc eam, & dotem recuperare, & ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus vendicare censemus, & nubendi post annum *f* ei (ne quis de prole dubitet) permittimus facultatem.

Virum etiam si mulierem interdicta g arguerit attentantem: tam dotem, quam ante nuptias donationem sibi habere *h* seu vendicare, uxoremque (si velit) statim ducere, hac justa definitione sancimus.

Sin autem aliter *i* uxori suæ renunciare voluerit, dotem redhibeat, & ante nuptias donationem amittat. Servis etiam, seu ancillis puberibus, si crimen adulterii, vel majestatis in geritur, tam viri, quàm mulieris, ad examinandam causam repudii, quo veritas, aut facultius eruatur, aut liquidius detegatur, si tamen alia documenta defecerint, quæstionibus subdendis.

Super plagis *k* etiam (ut dictum est) illatis, ab alterutro *l* commovendis, easdem *m* probationes (quoniam non facilè, quæ domi geruntur, per alienos poterunt confiteri) volumus observari.

Si verò filio, vel filiis, filia, vel filiabus extantibus, repudium missum est, omne quicquid ex nuptiis lucratum est, filio, seu filiis, filiæ, seu filiabus post mortem accipientis servari: idest si pater temerè repudium miserit, donationem ante nuptias à matre servari, si mater: *n* dotem ipsam eidem, vel eisdem, filio, seu filiç patre mo-

h Sibi habere.) ut tamen accusando eamdem adulterio inscribat, ut lucretur dotem, ut superiori §. dixi. Sed quomodo eo casu dotem habebit: nam ipsa cum suo patrimonio, vel toto, vel parte retruditur in monasterium, & residuum datur ascendentibus, vel descendentibus, ut in authent. ut nul. judi. §. adulteram, coll. 9. Respon. illud intellige de alia substantia præter dotem. Cui responsioni obstat, quod est in fine ejus authen. &c. si enim ex autoritate legis lucraretur maritus totum, cur diceret dotalia pacta servari, cum & fine his totum lucratur, ut hic, sed vir eligit? Dic ergo secundo quod etiam dos ea vivente debet monasterio applicari, quia inde debet sustentari, ea autem mortua dos debet dari viro tota ut hic, vel

riente dimitti censemus: *o* patri videlicet, vel matri in scribendis filiis hæredibus, si unum, seu unam, vel omnes scribere, vel uni ex his donare velit, electione servata *p* nec ullam alienandi, seu supponendi memoratas res permittimus facultatem. Sed si aliquid ex hisdem rebus defuerit, ab hæredibus, seu earum detentatoribus (si tamen non ipsos *q* hæredes scripserit, aut scripti filii non adjetit) resarciri præcipimus: ut etiam hoc modo inconsulti animi à repudio mittendo detrimento *r* retrahantur.

Pactiones sanè siquæ adversus præsentia scita nostræ majestatis fuerint attentatæ, tanquam legibus contrarias *s* nullam habere volumus firmitatem. Dat. V. Id. Jan. Protogene, & Astorio Conss.

vel secundum pactum, ut ibi, & hoc innuit finis dictæ authenticæ. Vel tertio hic loquitur, cum civiliter agendo condictione sine causa, ut liberetur, probat de crimine. ibi cum criminaliter instituta accusatione. Item quid dices, ubi solvitur matrimonium ratione affinitatis, vel consanguinitatis, & postea vult vir dotem retinere, quia dicit uxorem adulterium commisisse? illa se excuset, quòd non fuetit uxor, & sic nec matrimonium pro viro est. ff. de dona. inter virum, & uxor. l.3. §. 1. Sed dic contra, ut in auth. de nupt. §. si verò ab initio, col. 4. & ff. rerum amo. l. in concubina. Item pone patrem dotasse filiam, an propter filiæ delictum perdit propter dotem? quod cur, quasi pactum non valeat, quo minus pœna hujus legis servetur, ut jam ead. l. fin. arg. contra. ff. de pac. do. l. cum dos, & supra eo. l. dubium, & authent. contra si filii, &c. & dixi. supr. de jure dot. l. si dotem.

i Sin autem aliter.) idest sine aliqua de prædictis causis. Et nota hic, quòd olim libera erant matrimonia; & sine causa, etiam altera parte invita, poterant dirimi, ut jam. e. l. proxi. & jam de inuti. stip. l. 1. ff. de verb. oblig. l. Titia. Secundo tempore ex certis causis permittitur dirimi misso libello repudii, ut hac l. codicis, cui, & aliæ causæ adjectæ sunt tempore sequenti, ut jam. l. proxi. quæ etiam referuntur in authen. de nup. & jam l. in causis, & l. fi. Tertio jure abbreviatæ sunt & pauciores, quàm sint in codice, ut in auth. de nup. §. per occasionem, cum sequentibus, & §. mitiores, col. 4. Quarto jure adhuc pauciores, ut in auth. ut li. ma. & aviæ. §. quia verò plurimas, colla. 8. Quinto jure, ut canonum. omnes rejectæ sunt, nisi affinitatis, ubi non dirimitur, sed nullum fuisse declaratur.

k Ple-

k Plagis.) subaudi aliis. l Ab alterutro.) id est, vel à viro, vel ab uxore.

m Easdem) ut servi sub quæstionem mittantur, & sic jam de jure delib. l. fi. §. licentia danda, & jam de quæstio. l. 1. & de adul. l. verba, & l. in adulterii, & l. fi. & ff. de testi. l. servi, & jam de admin. tu. l. lex quæ, & in authen. de hære. & Falci. §. si verò absunt, colla. 1. & ff. qui & à qui. l. prospexit, quæ faciunt etiam ad id, quod hic dicit ea, quæ domi geruntur, &c. Sed argu. contra. supr. de testi. l. etiam.

n Si mater) scilicet temerè libellum miserit.

o Censemus.) hujus edicti meminit & jam eod. l. fin. §. eodem.

p Electione servata.) aliud per authent. videtur, ut supr. de secundis nupt. authen. lucrum, secundum Joan. Vel ibi in aliis rebus dicit, secundum H. & Azo. & concordat huic supr. de secundis nupt. l. generaliter. q Ipsos.) filios.

r Detrimento.) i. propter metum detrimenti.

s Contrarias.) ut quia pepigit de non perdenda dote, licèt delinquat, nam per hoc ad delinquendum invitaretur: ut ff. de pac. dot. l. convenire, & facit. supr. de pac. l. pacta, quæ contra leges.

Imp. JUSTINIANUS. A. Mennæ Præfecto Prætorio.

IN causis jamdudum specialiter definitis, ex quibus rectè mittuntur repudia, illam addimus, ut si maritus uxori ab initio a matrimonii usque ad duos b annos continuos computandos coire minimè propter naturalem c imbecillitatem valeat, possit mulier, d vel ejus parentes, sine periculo dotis amittendæ, repudium marito mittere: ita tamen, ut ante nuptias donatio eidem marito servetur, Dat. III. Idus Decemb. D. N. Justiniano A. II. Conss.

In causis.) CASUS. Si maritus cum uxore sua tempore contracti matrimonii per continuum biennium steterit, nec propter naturæ imbecillitatem eam cognoverit, poterit uxor ei repudium mittere, nec dotem amittet, nec vir donationem propter nuptias, hodie expectare debet per triennium. Item nec post triennium hoc licet.

a Ab initio.) sed quòd si ab initio coivit, sed post biennium, vel amplius non potuit? aliud est, quàm hic dicit, secundum canones.

b Ad duos.) hodie tres, ut in authen. hic posita, quæ incipit sed hodie, &c. quæ est de nup. ʃ. per occasionem, colla. 4.
c Naturalem.) vel propter facturas aliquas, aliàs fracturas aliquas. Accursius.
d Mulier.) Item an contrà vir possit invita uxore dirimere? videtur quòd sic : quia si primò non cognoverat, nec conatus fuerat cognoscere mulierem , non imputatur ei , quia nemo peccare cogitur: ante ergo quàm haberet uxorem, non potuit scire, an posset cognoscere, necne. Item videtur nec tenuisse matrimonium , cùm sit castratus , ut ff. de jure dot. l. si serva , quæ est contra. Solv. ibi naturaliter, hic ex casu supervenientis infirmitatis, vel alio. & facit in authen. ut li. matri. & aviæ. ʃ. prædictis , colla. 8. & extra de frigi. & male. c. laudabilem , & eo. tit. c. 1. in fi. Sed contra in fi. c. 3. & viri. &33. quæst. 1. c. quod autem, & c. si per sortiarias.

Idem A. HERMOGENI magistro officiorum.

Jubemus.) CASUS. Si maritus sine causa ab uxore divertat , amittat dotem, & illa donationem, si divertat. Si verò dos, vel donatio non fuerit constituta , & divertat sine causa legibus expressa : dimittet quartam partem bonorum suorum , ut si habeat quadringenta auri, vel argenti, dimittet ei 100. si verò minus habeat, deducto ære alieno, quartam habebit in qualibet re : etiam in minima. Idem si mulier si-

JUbemus , ut quicunque mulierem cum voluntate parentum , aut si parentes non habuerit, sua voluntate , maritali affectione in matrimonium acceperit: etiam si dotalia instrumenta non intercesserint , nec dos data fuerit , tanquam si cum instrumentis *a* dotalibus tale matrimonium processisset , firmum conjugium eorum habeatur. Non enim dotibus, sed affectu *b* matrimonia contrahuntur.

Si quis autem eam, quam sine dote uxorem acceperat , à conjugio suo repellere voluerit : non aliter ei hoc facere liceat , nisi talis culpa intercesserit , quæ nostris legibus *c* condemnatur.

Si verò sine culpa eam rejecerit , vel ipse talem culpam contra innocentem mulierem commiserit: compellatur ei quartam partem propriæ substantiæ pro rata portione persolvere : ut si quidem quadringentarum librarum auri, vel amplius vir substantiam habeat , centum libras auri mulieri præstet, & nihil amplius , etsi quantamcunque

cunque substantiam possideat. Si verò minus quadringentis libris auri, puta substantia ejus fuerit, tunc quarta pars, computatione facta puræ *d* substantiæ ejus usque ad minimam *e* quantitatem, mulieri detur.

Eodem modo servando, & in mulieribus, quæ indotatæ constitutæ, si sine culpa mariti constitutionibus cognita eos repudiaverint, vel ipsæ culpam innocenti marito præbuerint: ut ex utraque parte æqua lance *f* & æquitas, & pœna servetur: Hoc lucro quartæ partis, filiis quidem non extantibus, ipsi viro, & mulieri competente, & ab his quomodo voluerint, disponendo: Filiis autem; & deinceps personis ex eodem matrimonio intervenientibus, eis servando ad similitudinem dotis, & propter nuptias donationis per omnia, quæ super his statuta sunt. *g*

Inter culpas *h* autem viri, & uxoris constitutionibus enumeratas, & has adjicimus, si fortè uxor sua ope, vel industria abortum fecerit, vel ita luxuriosa est, ut commune lavacrum cum viris libidinis causa habere audeat; vel dum est in matrimonio, alium maritum sibi fieri conata *i* fuerit, & in his enim casibus locum habere constitutiones sancimus, quæ de culpa tam mariti, quàm uxoris loquuntur: ut quemadmodum dos, vel donatio propter nuptias perit, ita & mulieres indotatæ in quartam partem, quam & viris, & mulieribus ex hac lege destinavimus, amissionis periculum sustineant: Judicio *k* de moribus (quod antea quidem in antiquis legibus positum erat, frequentabatur) penitus abolito. *l*

Omnibus etenim causis requisitis, & perlectis, quas antiquitas introducebat, nihil validum præter eas, quas anteriores constitutiones, & præsens dispositio introduxit,

ne causa divertat, vel ipsa causam præbuerit divertendi, nam quarta pars bonorum ejus viro reservabitur, cùm erat indotata, & si filii extant, lucro illorum cedat illa quarta pars ad similitudinem dotis, vel donationis propter nuptias. (INTER) Si mulier indotata sua ope, vel industria abortum fecerit, item si stuphas cum hominibus causa libidinis intraverit, invito marito, item si vivente marito de contrahendo cum alio deliberaverit, eam vir dimittere potest, & dimittet ei mulier quartam partem bonorum. Istæ tres causæ computari possunt inter alias causas, propter quas vir divertere potest à muliere, & retinere dotem, & donationem propter nuptias, judicio de moribus mulieris hodie quiescente. Olim enim propter malos mores, &

leves poterat maritus divertere à muliere.	invenimus. Dat. XII. Kalen. Decemb. Justiniano. A. II. Conss.

a Cum Instrumentis.) ut & supr. de nup. l. neque sine, & l. si vicinis.

b Affectu.) ut & supr. de donatio. ante nup. l. fin. & ff. de reg. ju. l. nuptias, & de don. Inter vir. & uxo. l. cum hic. §. si mulier, & in authen. de nupt. §. nuptias itaque, coll. 4. contra argu. 30. q. 5. c. nullum.

c Nostris legibus. supr. l. proxi. & supr. eo. l. consensu. quam, l. consensu, suam facit per approbationem, ut supr. de vete. in re enuclean. l. 1. §. merito.

d Puræ.) id est deducto ære alieno, ut ff. de jure dotium. l. mulier bona omnia.

e Ad minimam.) id est, In qualibet re etiam minima habet quartam. Alii sic: id est si parvam substantiam habeat, & tunc non puniatur in quarta ista. Accursius.

f Æqua lance.) non ergo debet ad imparia judicari, ut & 32. q. 1. c. si quis hodie autem vir hanc quartam non habet, si ultra tres liberos habeat, sed pro numero liberorum, ut in authen. ut lie. ma. & aviæ. §. quia verò quædam, colla. 8. quæ hanc corrigit, sed illa corrigitur per aliam, ut fra. fi. §. fi. col. 9. & sic redimus ad hanc legem. Acc.

g Statuta sunt.) ut supr. e. l. consensu. §. fi. & eadem, quæ hic, habes in authent. de nup. §. si quis enim duxerit, & in authen. quib. mo. na. effi. leg. §. fin. colla. 6. & facit. supr. de secun. nupt. l. quoniam. §. fi. Ac.

h Inter culpas.) has tres culpas refert in auth. de nup. §. has itaque, & ad idem. 32. q. 2. aliquando.

i Conata.) idest tractavit de habendo alium virum. Ac.

k Judicio.) nunc tractat de ultima parte rubricæ. Accur.

l Abolito.) quod fuerit illud judicium, ignoramus. Sed dicamus, quod multi mali mores, & leves, ut inebriationes, & similes, inducebant solutionem matrimonii: quod hodie non est, ut hic, & supr. de rei uxo. act. l. rem, in princ. §. taceat, & ff. solu. matri. l. rei judicatæ. §. 1. in fin. §.

Imper.

Imper. JUSTINIAN. August.

CAPUT IV.

Qui sine dotalibus instrumentis nuptias contrahere non possunt. Jul. hic n. 243.

ILlud quoque meliùs arbitramur constituere competenter, quod ex plurimo causarum experimento cognovimus; multæ quidem, & continuæ litis nunciatæ nostræ Majestati, ad opus nos deduxerunt hujus legis. Quia enim, & antiquis promulgatum est legibus, & à nobis ipsis sunt hæc eadem constituta, ut etiam nuptiæ extra dotalia documenta ex solo *a* affectu valeant, & ratæ sint: sed falsatis contractibus nostra ex hoc est completa Respublica: (nam introeuntes testes sine periculo mentientes, quia vir vocabat *b* dominam cohærentem, & ista illum similiter nominabat: & sic eis finguntur matrimonia non pro veritate confecta) hoc existimavimus oportere secundùm naturales definire leges. Novimus etenim, & castitatis *c* sumus amatores, & hoc nostris sancimus subjectis. Sed nihil esse furore *d* amoris vehementius: quem retinere, philosophiæ *e* est perfectæ, momentis etiam & insilientem, atque inhærentem concupiscentiam refrænantis, ut ii, qui hoc dotali detinentur, si abstinebunt sermone ad eas, quas amant, quæ eis non per blandimenta conferunt; denique in tantum etiam ante nos legislatores tales scierunt animorum affectus, ut etiam donationes *f* constante matrimonio prohiberent: ut non concupiscentiæ magnitudine victi, latenter paulatim conjuges semetipsos privarent sua substantia. Hæc verò casta lege sancire bene se habere credidimus.

a ἀμοιβαία διαθέσις, mutua affectione, dixi ad l. 30. ff. de reg. jur.

b vide quæ notavi ad l. 19. §. 1. ff. de annuis; his adde illud Epitecti in Enchirid. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ ιδʹ ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Hieron. adversùs Jovinianum. Velanda domina, celebrandus natalis ejus.

c Castitas amica legibus.

d Furore amoris nihil violentius, οὐδὲν ἔστι μανίας ἐρωτικῆς σφοδροτέρων. Scr. τὸ μαίνεσθαι δ' ἄρ' ἦν ἔρως βροτοῖς, Euripidi in Antigone, ἔρωτα δὲ πλεονασθέντα μανίαν γίγνεσθαι. Theophrastus. Plato quoque amorem vocat furorem in Phoedro, & Plutarch. apud Stobæum serm. 185.

eas

eas ob causas quærit Clar. 5. sent. 60. An amor excuset à delicto? putà receptatione rerum furtivarum, amoris causa facto, sortilegio, injuria illata, & similibus: furor enim verus excusat, l. 14. ff. de off. præsid. huc tandem redit. Amorem, nimium à pœna non excusare, sed tamen ea elevare; quia in re subsisto. Nam si nimius amor pœnam in delictis elevat, & nimium quoque odium, capitalisque inimicitiæ pœnam elevabunt. Et tamen punitur, qui ad adulterium committendum amico domum præbuit, l. 9. ff. de adult. punitur quoque, qui affinem, vel cognatum latronem conservavit, quamvis mitius; nec enim par est delictum eorum, qui nihil ad se pertinentes recipiunt, l. 2. ff. de receptoribus.

1. In majoribus, *g* itaque dignitatibus, & quæcunque usque ad nos *h*, & senarores, & magnificentissimos illustres, neque fieri hæc omninò patimur, sed sit omnino & dos, & antenuptialis donatio: & ad omnia, quæ honestiora decet nomina. Quantum verò in militiis honestioribus, & negotiis, & omninò professionibus dignioribus est: si voluerit legitimè uxori copulari, & non facere nuptialia documenta: non sic quomodocumque, & sine cautela effusè, & sine probatione hoc agat, sed veniat ad quandam *i* orarionis domum, & fateatur sanctissimæ illius Ecclesiæ defensori. *k* ille autem adhibens tres, aut quatuor exinde Reverendissimorum Clericorum attestationem *l* conficiat declarantem, *m* quia sub illa indictione, illo mense, illa die mensis, illo imperii nostri anno, consule illo, venerunt apud eum in illam orationis domum ille, & illa, & conjuncti sunt alterutri: & hujusmodi protestationem, siquidem accipere volunt, aut ambo convenientes, aut alteruter eorum, & hoc agant, & subscribant ei, & sanctissimæ ecclesiæ defensor, & reliqui tres, aut quantoscumque voluerint: non tamen minus trium literis hoc significantibus.

2. Si verò etiam hoc illi non egerint: ille tamen talem reponat *n* chartam venerabilis illius Ecclesiæ defensor in ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Archiviis *o* (hoc est, ubi *p* venerabilia vasa servantur) prædictas subscriptiones habentem: ut reconditum sit omnibus ex hoc munimen, & non aliter videantur nuptiali affectu eosdem convenisse, nisi tale aliquid agatur, & omnino ex literis causa testimonium habeat: his ita gestis, & nuptias, & ex eis sobolem esse legitimam. Hæc autem dicimus, ubi non dotis, aut antenuptialis donationis fit documen-

cumentum ; fidem enim in solis testibus suspectam *q* habentes, ad præsentem venimus dispositionem.

3. Quisquis autem in abjecta *r* degit vita, parvæ quidem substantiæ domibus consistens, in *s* novissima verò vitæ parte jacens, habeat etiam in his licentiam.

Sed neque agricolas, aut milites armatos, & quos lex caligatos appellat, hoc *t* est viliores, *u* & obscuriores, perscrutamur, quibus civilium causarum ignorantia *x* est, & solius circa terram operationis, & circa bella concupiscentiæ causa est studiosa, & justè laudabilis; sic ut in vilibus personis, & in militibus armatis obscuris, & agricolis licentia *y* sit eis, & ex non scripto convenire, & matrimonia celebrare inter alterutros: sintque filii legitimi, qui patrum mediocritatem, aut militares, vel rusticas occupationes, & Ignorantias adjuvent.

e Philosophorum est, ac perfectorum amorem refrænare.

f Donationes constante matrimonio vetitæ, ob nimium inter conjuges amorem.

g In senatoriis nuptiis dotalia instrumenta, & donario propter nuptias requiritur : in aliis verò, qui honestiore militia funguntur, scriptura sufficit. Jul. const. 67. nu. 245. Derogat tamen huic legi, Nov. 117. c. 4.

h ἡμέτερον ἐςὶ συγκλητικῶν. Scrim. idest, nostros senatores.

i Matrimonium est contractus ecclesiasticus, unde & in templo coram ecclesia celebratur, & ecclesiæ conspectum, solemnitatem, & fidem requirit. Placet illud summopere Præter matrimonium, nuptias requiri, idest præter nudam conjugii conventionem, requiri solemnitatem, ritum, & sacram benedictionem in ecclesia Christiana usitatam. Sed de ea re dicam pleniùs ad Novell. Leon. 89. ut & de clandestinis nuptiis, ad l. 7. *C. de divort.*

k qui ἐνδικῶς.

l Attestatio nuptiarum initarum petitur à ministris ecclesiæ.

m Forma attestationis ecclesiasticæ nuptiarum initarum, adde Jul. hic num. 245.

n Registres des mariages. Huc refert Rebuff. tom. tract. de registris, seu libris baptismi, sepulturæ, & aliorum actuum : facit l. 3. ff. de censibus.

o De archivo alias dixi ad l. 9. §. 6. ff. de pœn. adde l. 30. C. de episc. audien.

p πρίςω ἐν τῷ ἐνάγει κειμηλιοφυλακίῳ, ita legunt hic Græci, Jul. hic num. 265. in sancto oratorio.

q Major

q Major igitur hic Scripturæ, quàm testium fides est, v. tamen l. 15. C. de fide instrum.
r hi vilissimi homines dicuntur. Jul. n. 266. in fin.
s εἰς ἔσχατον δὲ τοῦ δήμου μέρος ἀπεκκείμενος. Græci hic.
t τουτέστιν ἀτελεστέρους, καὶ ἀπανεστέρους. Græci hoc loco, sic εὐτελεῖς, Novel. 17. c. 3. & apud Harm. lib. 1. tit. 6. §. 35. l. 5. tit. 8. §. 107. vilis, & abjectus. Alias cohortalis. 5. Ecl.
u c. 52. Caligati, idest viliores, dixi ad l. 9. in fi. ff. de custod. l. à caligato milit. 21. C. de nuptiis, hinc caligata militia, l. 10. ff. de excus. tut.
x Milites, & rusticani jus civile ignorant.
y Scriptura non exigitur in nuptiis militum, & agricolarum. In quibus causis non requiratur scriptura, dixi ad l. 17. C. de pactis.

UT a QUÆ MULIER MARITI ODIO abortat, repudiari ab illo possit. *

CONSTITUTIO XXXI.
Idem Imp. LEONIS.

a Extat apud Harmen. 4. 12. §. 6.
* ut Novella Justiniani 22. c. 16. §. 1. fuerat constitutum, omissum verò in Novell. 117. c. 8. in fin.
b Genes. 2.
c Mulier ex viro, & propter virum Tertull. 5. advers. Marcionem, & lib. de veland. virgin.
d de abortu vide l. 8. ff. de sicariis. l. 39. ff. de pœnis.
e Novell. 22. c. 16. §. 1.

QUI hominem è b terra creavit, costa ipsius in mulierem transformata, adjutricem c illi ex ipsius membris conjunxit: quo videlicet suæ creationis causam illa cognoscens, vel hinc discat, sua lege erga conjugem, benevolentiam, atque amorem incontaminatum conservet. Quæ igitur ita animata est, benevolentiamque suam marito custodit, revera illa auxiliatrix est, neque conditoris promissum fallit: quæ verò diverso animo est, non amplius neque hoc esse cognoscitur, neque, quanquam confugium in unum illam cum marito cogere animum quærit caro ex carne, membrumve ipsius est. Idcirco cum de muliere, quæ propter inimicitias, quas jam marito habet, de industria abortando d, neque in vitæ lucem fœtum producendo, seminis ipsius fructum opprimit, duæ leges latæ sint, quarum una e repudiare injuria affe-

affectum maritum jubeat, altera *e* verò non permittat: nos legi divortium suadenti assentientes, illi ut multò utiliori autoritatem attribuimus. Alienum enim mihi à ratione, prorsusque iniquum videtur, ut quæ tam apertum in maritum odium suscepit, ut ipsius semen disperdat (ut interim omittam, quòd communi naturæ insidiata sit) ipsi cohabitet. Nam si *f* qui alicui alii operi damnum inferunt, eos tamquam inimicos aversamur: quomodo eam, quæ procreandorum liberorum operi, tum maximè necessario, tum præstantissimo noxam fecit, ipse qui damno affectus est, ut suam apud se habere poterit, nec ut insidiatricem, & hostem dimittet? Quod insuper evidentius signum requiras, ut mulierem marito inimicam esse cognoscas? quomodo id inde manifestum non est, quod dum adversus illum hostilia cogitat, in vitam progressu fœtum privat? Quomodo igitur dictum, est: lex, quæ ipsos separat, obtineto, maritusque secedendi à muliere in hoc facinore deprehensa, facultatem habeto. Nam si quæ solùm extra *g* ædes mansit, aut cum hominibus, cum quibus non deceret, convivata *h* est, hanc lex à nexu matrimoniali separat (quum tamen hic in maritum odii nullum tam evidens testimonium sit, & accidisse id illi citra matrimonii injuriam videri etiam possit) cujus rationis erit eam, quæ tantùm, tamque in maritum, & naturam injurium odium conceperit, non disjungere, si ita marito videatur, & jubere ipsum uxorem habere, quæ ipsius vitæ insidietur.

f Novell. 117. c. 8. in fin.

g Exaggeratio criminis abortionis.

h d. Novell. 117. c. 8. vers. si dolente viro foris domum manserit.

i Nov. 12. c. 15. §. 1. Nov. 117. c. 16. ibi, si cum viris extraneis, dolente marito, convivatur.

DE ADULTERIS MANIFESTO *a* Deprehensis. *

CONSTITUTIO XXXII.

Idem Imp. Leo.

ADulterii scelus, si quod aliud, gravem, horrendamque *b* pœnam exigit, & (ut puto) homicidii pœna non *c* minorem. Homicida enim persæpè unius tantùm sanguinaria manu vitam evertit: sce-

a ἐπαυτοφώρως dixi ad l. 23. ff. de adult.

* & eorum nova pœna: quippe nasus

lestus verò adulterii perpetrator, quamplurimos *d* ferè de medio tollit, maritum, liberos, cognatos, aliosque, dum uno vulnere dilacerato matrimonio omnes prosternit. Verumtamen, quia cùm olim id facinus morte *e* puniretur, visum est posterioribus mitiorem proferre sententiam: at verò nos ferè ad benigniora trahimur: quam illi constituerunt pœnam, ut nempè nasus *f* detestandis illis ambobus abscindatur, hanc & nos statuimus, atque hæc quidem nefarii istius sceleris esto pœna. Ac quoniam maritum pro tanta injuria circa consolationem relinqui non oportet, in matrimonii jus injuriæ mulieris *g* dotem percipiendo se consolator. Insuper mulieri ad alteras nuptias pro salute, neque, quasi in nasi abscissione præmium acceperit, liberè in posterum secum libidinosis commiscere, nequaquam permittitor: sed ob scelus commissum, in monasterium (ubi in contritione animæ leviorem sibi pœnam faciat) velut in exilium detruditor. Et, si monasticæ vitæ desiderio correpta, illam susceperit, quæcumque ipsius bona à dote separata sunt, ea liberi, & monasterium inter se distribuunto: si liberi nulli supersint, prò illis parentes, & si neque hi sunt, alii cognati ad divisionem inducuntur. Quod si in prophano habitu è vita excedat, cùm testamenti factionem omninò habeat, prout illa constituerit, quæ bona extra dotem habuit, dispensabuntur.

sus præcidi adulteris jubetur hac constitutione, quod veteribus legibus non erat.

b Decimanona dicitur, ab Harmenop. 6. tit. 2.

c Adulterium pœnam, homicidio non minorem meretur.

d Exaggeratio criminis adulterii.

e Adulterium olim morte puniebatur, v. l. 30. in fi. D. de adult.

f Harmenopolus d. loco. Sic manus furibus præciduntur in Longobard. l. de latronib. l. si quis latro, de furtis in Longobard. & in patriam conspirantibus, l. de conspiratoribus de aggressoribus in via factis in leg. Longobard. adde quæ dixi ad Novell. 134. c. 13. vers. si verò criminis qualitas, ubi de pedis, manus, aurium, & narium amputatione dixi, & excæcatione.

g V. quæ dixi ad Novell. 134. c. 10. & Num. 117. c. 8.

NE

NE *a* CAPTIVORUM UXORIBUS aliis nubere liceat. *

CONSTITUTIO XXXIII.
Idem Imp. LEONIS.

SI qui olim leges tractarunt, eo fuisse animo, ut prorsus sua, quanquam in illis correctione nonnulla indigerent, corrigi tamen nolent, suspicatus essem: fortasse nunquam hoc consilium suscepissem, uti leges, quæ sese rectè non haberent, corrigere tentarem, & tametsi arcta reipublicæ cura, quò videlicet rectè illa administraretur, necessariò correctionem injunxisset: ut ne tamen primos legislatores contristare videremur, qui nos in hoc impetus ferret, inhibuissemus. At quoniam illis quoque ipsis, si etiamnum in vivis essent, non modò illorum institutum, qui corrigere conantur, non displiciturum, sed eosdem etiam, qui ita faciendum censerent, his gratias acturos arbitror (non etiam gloriæ causâ, sed quòd reipublicæ commoda curæ haberent, leges edidere) agè quæ reipub. conducant, neque illis ipsis veteribus legislatoribus displiceant, facientes, exactiore consideratione, seu medicamento quodam Pæonio *b*, legum morbos propitio Deo curemus. Supra cætera etiam, ubi de captivis sanxerunt, hoc caput, in quo de matrimonii dissolutione statuerunt, valdè rationi esse dissentaneum videtur. Sic autem, & in hæc verba ajunt *c*: Sive marito captivitatis infortunium accidat, manente uxore in civitate: sive quum uxor in jus captivitatis pervenit, maritus in civitate permaneat: exquisita quidem, & subtilis ratio distrahit matrimonium. Semel enim, servitute alteri superveniente, conditionis inæqualitas æqualitatem, quæ in nuptiis spectatur, permanere non patitur. Nos tamen humaniùs talia contemplantes, donec certum est superesse maritum, vel uxorem, pro non

a Extat 4. Har. 12. §. 4.
* Etiam post quinquennium: & ita abrogatur Novell. 22. cap. 7. vers. Si verò incertum. Novell. 17. c. 12.
b Medicamentum Pæonium; fuit autem Pæon medicus Deorum, Suidas in παιωνιος.
c Novell. 22. c. 7. in princ.
d l. 45. ff. de ritu l. 1. D. de divort. l. 19. l. 56. D. soluto l. 12. §. 4. D. de captivis.
* Quid exigebatur d. c. 11.
e Dixi ad Novell. 117. c. 11.

solutis matrimonia haberi finimus : neque ad alias migrabunt nuptias, vel mariti, vel uxores, nisi petulanter id egisse videri velint, & in pœnas incidere, ille quidem exactionis donationis ante nuptias, hæc verò dotis. Hi ergo istiusmodi de captivorum matrimonio pronuntiarunt sententiam. Nobis autem neque causa, quam exquisita (ut ipsi loquuntur) subtilisque ratio suppeditat, rationi esse consentanea : neque humanitas, quæ dirimendi matrimonii facultatem præbet, dum ipsos damno subjicit, sincera videtur. Si enim (quemadmodum inquiunt) durare matrimonium fortunæ non d permittit inæqualitas, quomodo si ad libertatem revocetur captivus, quum post matrimonii dissolutionem ad æqualitatem fortuna redeat, amboque in libertate vivant, ad æqualitatem matrimonium non redibit? Quæ verò illa sincera humanitas, quæ amicissimorum membrorum subtractione damnum inferre, aliorumque substitutione id quasi farcire conatur? Quomodo item, etsi usque ad utilissima quæque captivorum substantia jure, statuque ipsorum integro taxetur, illos non ita præstantiore parte (sui nempè membri conservatione) atque rerum suarum jure periclitari velle, immensumque damnum fore, si altera pars membrum suum negligere in animum inducat, non per quam est manifestum? Quid igitur ego? Si quum altera pars in captivitate sit, altera, quæ à captivitatem libera mansit, ad alterius conjugium, respexerit: postliminio verò revertatur quæ in captivitate detenta fuit: ut illi si velit, suum membrum recipiendi facultas sit, ac nequaquam, quod alteri conjunctum fuerit, prius matrimonium innovetur. Si enim conjugium cum altero postmodum initum videbitur aliquibus dissolvi non oportere, quomodo non æquius fuerit, si primus matrimonii nexus in suum statum revertatur? Et si, eò quòd alienæ parti conjunctum sit, id quispiam avelli non permittat: quomodo quod à sua parte abruptum sit, id in suum locum restitui, rationi non fuerit consentaneum? At dixerit aliquis. Sed in lucrum captivis cedit, quod propter alterum temeritate contractum matrimonium, per compensationem pœnæ nomine introductum est. Verùm hunc sermonem non dico non labris exprimi, sed ne in mentem quidem autoribus ejus venire melius fuerit. Nam quomodo ille, qui membrum suum pecuniis commutat, non extrema mentis infelicitate, & penuria laborat? Sancimus itaque, ut nequaquam ampliùs, quæ pars à servitute intacta mansit, ad alterius conjugium procedat : sed quotcumque annis altera in servitutis miseria

ſeria detinebitur, tametſi * inde nullam neque de ſcripto, neque citra ſcriptum ſignificationem accipiat, illam expectet. Et quòd ſi præter hanc legem alterius matrimonii commercio à priore abrumpi aliqui velint, idque non ſecundùm obſervationem in *e* Novella centeſima decimaſeptima de uxoribus eorum, qui in expeditione ſunt, relata fiat: ſciunto illi, quòd poſitis in dicta conſtitutione pœnis ſubjacebunt. Inſuper etiam (quemadmodum diximus) ut ſi quis ſervitutis ærumnas ſuſtinet, liberetur, ſuum, ſi velit, membrum recipiat, licebit.

NE MATRIMONIA CITRA *a* ſacram benedictionem confirmentur.

CONSTITUTIO LXXXIX.
Idem Imp. LEO.

QUemadmodum adoptionem promiſcuè habitam neglexit vetuſtas, quam tametſi ſine *b* precibus, ſacriſque cœremoniis peragi lege permitteret, non tamen illam ſe parvipendere putabat: ita & abſolutam matrimonii conſtitutionem, dum id citra *c* jam receptam *d* benedictionem *e* iniri ſineret, neglexiſſe videtur. Sed veteribus iſtius voluntatis fortaſſe ratio inveniri poſſit: à nobis verò, cùm divina gratia ad honeſtius multò, ſanctiuſque vitæ inſtitutum jam res comparatæ ſint, neutrum dictorum negligi convenit. Itaque quemadmodum adhibitis ſacris deprecationibus adoptionem perfici præcipimus *f*: ſic ſanè etiam ſacræ benedictionis *g* teſtimonio matrimonia confirmari jubemus. Adeò ut, ſi qui citra *h* hanc matrimonium ineant, id ne *i* ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa conſuetudine matrimonii jure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum, & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias. Conjugalis vitæ deſiderio teneris? Conjugii leges ſerves neceſſe eſt. Diſplicent matrimonii mo-

a adde 4. Har. 4. Novel. Alexii Comneni c. 9. jam.
b χωρὶς εὐχῶν καὶ τελετῆς ἱερᾶς, Scr. adde Nov. 24. ſupra eod. Nov. 98. in pr. jam eod.
c Imò non citra benedictionem, v. quæ dixi Novell. Juſt. 74. c. 4. ſ. 1. ibi, ille autem adhibens tres, aut quatuor exinde Reverendiſſimorũ Clericorum, atteſtationem conficiat, &c.
d uſu ſcil.
e γενομένης εὐλογίας.
f Nov. 74. ſup.
g Jubet Leo benedictionem nuptiis adhiberi: quem ritum

lestiæ? Cœlebs vivas, neque matrimonium adulreres, neque falso cœlibatus nomine culpam prætexas.

tum probat ex adoptionis solemnibus, d. Nov. 24. illud constat, apud Erhnicos sacramenta ignis, & aquæ nuptiis adhibita, l. pen. in fin. ff. de donat. inter virum. Apud Christianos Deus nuptiarum conciliator creditur, Marc. 10. conjugia precibus, & benedictione confirmata fuisse apud veteres innuit historia, Tob. 5. 7. 8. & Evaristus refert. 39. q. 5. cap. 1. Non aliter legitimum conjugium esse, quàm si suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à sacerdote factis benedicatur; & Tertull. 2. ad uxorem. Unde sufficiam, inquit, ad enarrandam rantam felicitatem matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblario, & obsignatum Angeli renunciant? Concilio Carthaginensi 4. c. 13. constitutum, ut sponsus, & sponsa in templum deducanrur ad benedictionem sacerdotis recipiendam. Ambros. 9. epist. 70. Insum, inquit, conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oportet. Scholiast. Har. 4. tit. 4. uegat nudo consensu matrimonium contrahi: ita ut, nisi sacrum Dei verbum fuerit recitatum, neque nuptiæ consistant, neque prohibeantur conrrahentes à se mutuo separari. Idem probatur ab Innoc. III. c. 4. extra de sponsalib. Illud notandum est, proclamationes, quas Banna Langobardico vocabulo appellant c. 27. extra de sponsalib. c. ulr. de clandestin. despons. c. ult. qui matrimonium accusare. In ecclesiis fieri solitas. Pompam quidem non requirit in nuptiis, l. 22. C. de nupt. sed tamen eodem tit. l. 24. dicitur, non aliter conditio nuptiarum evenisse, quàm si nuptiarum accesserit festivitas. Tridentina Synodus sess. pen. requirit præsentiam Parochi, & duorum, vel trium testium. Rogerius Rex 3. Neapoli. const. 22. matrimonia sine sacerdotali benedictione publica (maximè inter nobiles) vult esse clandestina, & illicita: nec illo casu testamento, vel inteftato, nuptias hujusmodi contrahentibus succedi: mulieres ipsas dotes amittere, nisi viduæ sint, & nubant; adde de clandestinis matrimoniis exar. de clandestinis nuptiis dicam ad l. 7. C. de nupt.

h *ἱερᾶς εὐλογίας μαρτυρία*. Scrim. ut superiùs dixit, *χωρὶς εὐχῶν ἢ τελετῆς ἱερᾶς*, & *δίχα τῆς νενομισμένης εὐλογίας*.

i non est matrimonium, cui sacrorum benedictio fuit.

UT

UT QUI TERTIUM *a* MATRIMONIUM contrahant, facri Canonis *b* pœnæ *c* obnoxii fint.

CONSTITUTIO XC. *Idem Imp.* LEONIS.

OPortebat nos, cùm divina manu formati; menteque, ac ratione præditi fimus, quorundam brutorum præftantiæ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehenfione vacat, neque à jufti vituperationibus libera eft: fed tantò obnoxior, quantum brutali naturæ rationabilis prudentia antecellit. Oportebat (inquam) homines, cùm in aliis, tum præcipuè in caftitate matrimoniali, à brutis *d* non vinci. Multa autem brutorum animantium genera *e*, conjuge mortuo, perpetuam viduitatem amplectuntur, alterique nuptiis priores velut congefta terra obtegere nolunt. Verùm, quoniam hanc imbecillitatem turpem non effe (quanquam turpiffima fit) exiftimans, natura primo matrimonio contenta non eft, fed, nullo pudore tacta, ad fecundum etiam procedit: quin cùm illam hic faltem fiftere deberet; non tamen id facit: &, quamquam per facram legem non liceat, à fecundo matrimonio ad tertium prorumpit, haud dubiè conftitutam in tertium matrimonium pœnam, quod non execratur, contemptui habens: idque eò etiam magis, quòd civilis lex, qua nefcio de caufa, Spiritus pœnam conftituentis decreto non confentiat, fed hos à reprehenfione porrò liberat, qui poft alterum matrimoniale confortium à matrimoniis abftinere nolint: idcircò nos, quæ Spiritui placent, fequentes, ftatuimus, ut qui ad tertium matrimonium pervenerint, pœnæ, quam in ipfos

a de tertiis nuptiis, v. conftitutionem Porphyrogennetæ, Nov. 1. c. 2. ver. ut autem, jam.

b 3. fc. Neocæfarienfis.

c Tempus aliquod pœnitendi Bigamis, & Trigamis imponitur. Illud adjiciendum, d. c. 3. & c. 7. ejufdem Synodi, vetari presbyteros intereffe nuptiis ejus, quæ fecundo nubit. privabant enim nonnulli benedictione fecundas nuptias. v. Auguft. ferm. 243. Ambrof. in c. 7. 1. ad Corinth. & in 3. c. 1. ad Corint. Concilium Lateranenfe fub Alexandro 3. tit. de fecund. nupt. c. 1.

d Hinc illud Nazianzeni: τὸ πρῶτον συνοικέσιον, νόμος; τὸ δεύτερον, συγχώρησις; τὸ τρίτον, πα-

παρανομία; τὸ τέταρτον, Χοιρώδης βίος.

facer canon *f* promulgavit, obnoxii ſint.

e Ut turtures.

f Canon. 37. Neoceſarienſ. ſynod. 31. q. 1. de his, qui Baſilius c. 4. ad Amphilochium, ubi vide Balſamonem.

UT CONCUBINAM HABERE non liceat *.

CONSTITUTIO XCI.

Idem Imp. LEO.

NEque minùs ea lex *a*, quæ probroſè cum concubinis immiſceri non erubeſcentibus id permittendum judicavit, honeſtatem ſuſque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore noſtram remp. afficere ſinamus. Itaque lex illa in æternum ſileto. Ab illa enim: non modò religionis *b*, verumetiam naturæ injuria ſecundùm divina, Chriſtianiſque convenientia præcepta, prohibemur. Et quidem ſi cùm fontem habeas, ſobriè inde haurire divino præcepto moneare: qua ratione, cùm puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? Tum tametſi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes. Cęterùm vitæ conſortem invenire difficile non eſt.

* Concubinam habere non licet, ut hic, & ita abrogatur, tit. ff. & C. de concubinis, l. 13. de adult. & ſimiles. Olim quidem conſtante matrimonio, concubinam habere non licuit, Novell. 18. c. 5. Nov. 89. c. 12. §. 5. Cęterùm concubina à meretrice diſcrepat: concubina unius tantùm conſuetudine utitur: meretrix verò plurium. Concubina cum uno tantùm peccat, meretrix cum pluribus, Balſamon ad canon. 26. epiſt. Baſilii ad Amphilochium.

a ff. & C. de concubinis.

b Concubinatus jure divino reprobatur. adde Clar. 5. ſent. §. fornicatio, verſ. & in primis.

NE * INTRA SEPTIMUM *a* ÆTATIS ANNUM sponsalia ineantur, neque ante decimumquintum maribus, aut decimumtertium fœminis matrimonium consecretur.

CONSTITUTIO CIX.

QUum *b* suum cuique *c* rei tempus esse Sapiens *d* tradat, idque communis omnium, qui modò mentis compotes sunt, sententia tum amplectatur, tum probet: in omni actione tempus observare *e*, longè pulcherrimum fuerit. Quod si fortasse alibi, in contrahendis certè matrimoniis negligi non debet. Oportet enim, ut quò ea res in communi vita magis necessaria est, eò prudentiùs, cautiusque ad illam procedatur. Quam sanè nos ob causam secundùm veteres *f*, qui rectè hac de re lege lata statuerunt, sancimus, ne quo modo ante *g* septimum ætatis annum sponsalia constituantur, neque matrimonium *h*, sponsa duodecim, sponso verò quatuordecim annis minore, sacris *i* cęremoniis confirmetur. Atque hoc quidem, quantum ad communem, publicumque reipublicæ usum attinet, ita vetitum sit. Verùm si Imperator *k* (ut sæpe accidit) novam familiam conficiens, & sponsalia, & consecratione peragendam conjunctionem intra præstituros annos despondendis decreto permittat, id nihil legi adversabitur. Licitum enim est, ut quibus Deus universi terrarum orbis tanquam familia cujuspiam, administrationem demandavit, hi secus, quàm lex, quæ subditos devincit, præscribat, familias cogant.

* & ita reducitur lex 14. ff. de sponf. Augustus antea cōstituerat, ne minor x. annis sponsa haberetur, v. Dion. Zonar. extat verò hæc Novella apud Harmen. 4. tit. 1. §. 11.

a Infantia his annis definit, d. l. 14. l. 1. ff. de administr. tut. l. 3. C. qui admi. l. 18. C. de jure delib.

b καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι.

c Eccles. 3.

d τηρεῖν τὸν καιρόν.

e d. l. 14. intelligit.

f Ante septimum annum sponsalia non consistunt.

g matrimonium fęminæ ante 12. annum non contrahunt, masculi ante 14. l. 9. ff. de sponf.

h ἱεροτελεσίαις.

i v. Novell. Isaa. Angeli 2. jam.

k Subsidii, principis familia.

UT *a* MULIER SOLUTO MATRImonio dotem suam, propterque nuptias donationem, & reliquam omnem mariti substantiam in commentarium *b* conscribat *c*, ac eo prolato resarciri sibi postulet, si quid damni in rebus suis à marito se passam dicat: citra *d* commentarium autem, evidentemve probationem nihil petat, aut petendo accipiat.

CONSTITUTIO CX.

QUum præter alia, quæ sanctè à veteribus *e* de matrimonii rebus tractata sunt, huic quoque tractatui sacria prospectum sit, ut nempe mulier soluto matrimonio, non quoquo modo res maritales percipiendas, & detinendas vendicet: sed si de illis controversia moveatur, confectum post mortem mariti de dote sua, & donatione propter nuptias, reliquisque maritalibus facultatibus commentarium publicè prius exhibeat: & si quid ex dote à marito consumptum esse appareat, id ex ipsius bonis repetat: quum hoc (inquam) quomodo ut, atque æquitas postulat, à veteribus constitutum sit, ac verò nunc ejus nulla ratio habetur: quoniam veterum prudentiæ utilitatem conservandam ducimus, illorum sanctionem renovantes, statuimus, ut dehinc omnibus modis de dote, propterque nuptias donatione, & aliis quibuscunque maritalibus rebus à mulieribus commentarius conficiatur, quo si quando ad istiusmodi controversiæ speciem adigantur, & ad res maritales pro eo quantum ipsarum res deteriores redditæ sunt, procedere velint, ex eo commentario, aut probatione petitionis æquitas cognoscatur, ut tum rectè res maritorum vendicent, quando commentario comprehensa ab illis insumpta esse constabit. Citra commentarii autem testimonium neque

a extat apud Harmenopulum, lib. 1. tit. 33. §. 37.

b ἀπογραφῇ, nota de inventario rerum dotalium.

c intra tres menses, ut jam eodi

d χωρὶς ἀπογραφῆς.

e Jurisconsultis, & Imperatoribus: adde Photium 9. Nocan. 28. 29. & seq.

f Idem temporis spatium inventario bonorum defuncti faciendo præstituit lex, ult. §. 2. C. de jure delib. & inventario bonorum pupilli, §. Harmenop. 11. cap. περὶ καταλιμπανομένων ἀπογραφῶν; quod Accursius non probat in l. 24. C. dei adm. tut.

neque petitio locum inveniat, neque illa contentiosè petentes; aut audiantur, aut quicquam eorum, quæ petunt, consequantur.

Porrò commentarii conficiendi tempus statuimus, ut intra tres *f* menses fiat: & cujusmodi mulcta à veteribus in tutores constituta est, talis etiam hic procedat.

UT SI UXOR *a* MENTE CAPIATUR, idque neque dolo mariti, neque ipso conscio, aliorum maleficio fiat, & ultra tres *b* annos id malum duret: matrimonium dirimatur, alteramque uxorem ducere marito liceat. *c*

CONSTITUTIO CXI.

Idem imp. LEO.

NIhil adeò ad conservandum genus humanum esse necessarium, atque quod è costa viro attributum est subsidium, cùm artifex ille, qui istud condidit, docet, tum ipsa natura divino documento attestatur. Quod quum ita sit, par, atque conveniens erat, legis providentiam, & si qua aliunde cura mortalium rebus succurrit, istiusmodi de re illa commentari & statuere, quæ per omnem vitam illis, qui conjugii nexu uniti sunt, auxilio, gaudioque sint: quæ initio propositum conjugii finem confirment, non verò contra affigant, & miseriam perpetuumque mœrorem adferant. Si ergo conjugium tale esse oportet (quemadmodum certè oportet) non sanè suscipienda mihi illa lex *d* videtur, quæ si post initum matrimonium furore uxor corripiatur, maritum illam perpetuo retinere, & furoris incommodum semper ferre cogat. Ubi enim approbetur, ubi rationi consentaneum, aut matrimonialis convictus sollicitudine dignum videatur, ut per totam vitam maritus insanienti uxori alligetur, ejusque fœditatibus conficiatur? Si enim nullus adeò truculentus est, ut vel momento quemquam cum feris in eundem locum in-

a De viro Novell. jam eod.

b Novella Nicephori Botoniatæ c. 1. jam, idem confirmat, & Photius 13. Nomocan. 30. quo loco Balsamon hujusce Nov. mentionem facit, ut & Harm. 4. tit. 1. cap. περὶ μανίας.

* Et ita abrogatur lex 16. in fin. ff. de ritu: quæ generaliter vetabat matrimonium ob furorem dissolvi, reducta distinctione legis 22. §. 7. ff. soluto, sed tamen Photius dicto loco negat hanc Novellam Leonis usitatam, stari potiùs juri civili, & Novellæ Justiniani 22. c. 15.

cludere sustineat, qunmodo legis benignitate prædita illa lex *e*, quæ perpetuò efferatæ furore conjugi cohabitare maritum jubet? Sed per conjugium (inquiunt *f*) in unum *g* corpus cojerunt, oportetque membrum alterum alterius morbos perpeti: & divinum præceptum *h* est, quos Deus junxerit, ne separentur. Præclara *i* quidem hæc, & divina, utpote quæ à Deo pronuntiata sint; verùm non rectè: neque secundùm divinum propositum hic in medium adferentur. Si enim matrimonium tale statutum conservaret, quale ejus in principio pronuba *k* exhibuisset, quisquis separaret, improbus profectò esset, neq; reprehensionem effugeret. Jam verò quum præ furore ne vocem quidem humanam à muliere audias, nedum aliud quidquam eorum, quæ ad oblectamentum, & hilaritatem matrimonium largitur, ab illa obtineas, quis adeò acerbum, horrendumque matrimonium dirimere nolit? Ea propter sancimus, ut si quando post initum matrimonium mulier in furorem incidat, ad tres *l* annos infortunium maritus ferat, mœstitiamque toleret: & nisi interea temporis ab isto malo illa liberetur, neque ad mentem redeat, tunc matrimonium divellatur, maritusque ab intolerabili illa calamitate exoneretur. Cur sanctioni hoc adjicimus, ut furoris causa investigetur, in eamque inquiratur, num *m* fortè mariti, aut ipso conscio familiarium ejus, aliorumve quotumlibet technis, atque dolo sit constatus: Quòd si sic esse deprehendatur, & quidem maritus *n* maleficii arguatur: ut hic in monachum transformatus, nolensque volens monasterio inclusus, nequitiæ suæ pœnas luat, manantique ex sacris canonibus animæ curationi subjectus sit, decernimus. Ac si à cognatis ipsius, aut aliunde, ipso conscio, noxa orta sit.

UT

c. 15. Novell. 117. c. 8. 9. quæ inter causas divortii hanc non enumerat.

e Genes. 2. vers. 22. *d* d. l. 16. in fi. l. 8. ff. de is qui sunt sui. l. 4. ff. de divort.

e hinc satis perspicuum est non intelligi hoc loco, d. §. 7.

f objecto.

g ἓν μέλος sic alibi σάρκα μίαν. Matth. 16. vers. 3.

h Matth. 19. vers. 6.

i Refutatio objectionis.

k νυμφοστόλος.

l Triennali furore uxoris matrimonium potest dirimi.

m Quid enim si uxor malis artibus mariti in furorem versa est?

n Pœna mariti, cujus malis artibus uxor in furorem versa est, adde, Novell. 22. c. 15. §. 1. l. 3. ff. ad leg. Cornel. de sicariis.

UT SI MARITUS *a* PER MATRIMONII tempus in furorem incidat, intra quinquennium * matrimonium solvi nequeat: at eo autem elapso, si furor eum adhuc occupet, solvi possit.

CONSTITUTIO CXII.

VEterum *b* Jurisconsultorum sententiam, qua furorem matrimonium impedire, jam initum autem non infirmare constituitur, neque convellere, neque reprehendere est animus: illosque ipsos ad judicium suum, quo ad id decernendum commoti sunt, expendendum remitto: ut tamen illam, aut approbem, aut confirmem, quòd id mihi approbatione indignum videatur, induci nequeo. Nam quum matrimonium, si furor præveniat, impediatur: at verò si initio jam matrimonio furor superveniat, illud nihil lædi dicatur, quomodo hinc ad comprobandum illectemur? Si enim hoc in matrimonio spectatur, ut cum utriusque conjugis commodo contrahatur: quomodo, qui ne id ab initio tanquam inutile consistat suadet, si postquam initum erit, eadem calamitas existat, non idem ejus compagem tanquam inutilem dissuadebit? An operam dari oportet, ne quis omninò in mali cujusquam periculum incidat: qui verò jam inciderit, hic sine omni ope relinquendus, ipsiusque calamitatum non miserescendum est? Quod perinde *c* sit, atque si quis, priusquam morbo quispiam corripiatur, adhibendum remedium existimet, aut jam correptum negato remedio mori sinat. Verumtamen (id quod dixi) reprehendere jurisconsultos non est animus: ut tamen ipsis adstipuler, permultum abest præsertim verò, quum multi alii modi ad solvendum matrimonium constituti sint, quo-

a De mulieris furore dictum est. Novell. 11. supr. eod. Ex his apparet ob triennalem furorem uxoris, matrimonium dissolvi posse: ut ob quinquennalem mariti. * 4 Harm. 2. Novella, Nicephori Phocæ jam eod. sed Photius 3. Nomocanon. 30. negat hanc Novellam Leonis observari, cùm furor inter justas divortii causas non numeretur in Novell. Justin. 22. cap. 15. Nov. 115. c. 8. 9.

b V. l. 8. in fin. ff. de his, qui sunt sui, l. 16. in fin. ff. de ritu.

c Argumentum satis firmum ad hujus Novellæ conservationem observa.

d Argumentum aliud firmum satis

rum *d* nullus cum furoris malo conferri recte possit. Quomodo *e* namque mariti prodigalitas, aut religionis *f* diversitas, aut in naturali consuetudine impotentia, & imbecillitas, aut si quid aliud his connumeratur, quod ad dissolvendum matrimonium valeat, (cujusmodi est, si servilis conditionis conjugem esse appareat, & si quæ *g* in pactionibus nuptialibus promissa fuit *h*, propter paupertatem plenè præstare nequeant) hæc, inquam, & similia, quibus matrimonia dissolvere lege tributum est, quomodo tandem cum furoris calamitate comparari possint? Nos itaque sancimus: ut si furor post initum matrimonium superveniat, ne intra quinque annos conjuges distingantur. Etenim quemadmodum quando per omnem vitam furor duraret, nec tamen matrimonium dirimi posset, id durum, & acerbum esse visum est: ita tanto tempore expectare, & perseverare necesse est. At si, postquam tantum temporis decurrerit, malum se non remiserit, neque furiosus resipuerit: cùm neutrius commodo, aut incommodo conjugium dirimatur: Atque hæc quidem statuimus, non quò superioribus legislatoribus obtrectemus; sed ut quam subditis curam debemus, adimpleamus. Jam verò si furor ipse nuptiarum die animadvertatur, quo minus confestim matrimonium, tametsi *h* sacro ritu confirmatum sit, dissolvatur, nihil obstiterit; perindeque ac si ante nuptias furor animadversus esset: matrimonium in irritum recidet, atque distrahetur. Sed *i* quòd post consecrationem disjungendos esse conjuges dicitur, fortasse id nonnullis recto judicio destitui videbitur: quasi, posteaquam sacrificio *k* juncti in unum corpus cojerunt, non dirimi illos, sed unitos sini oporteat. Et præsertim quidem, quum præstantius membrum, adeoque caput *l* maritus sit; neque præcipua corporis membra si morbo aliquo occupentur, amputari soleant. Atqui hæc ratione, dum à conjunctione stare, atque illam defendere se putat, quid sibi benedictio velit ignorare videtur. Hæc enim præstantissima quæque connubio largiri cogitans, pudicitiam

tis observa.

e Vide Novell. 22. c. 15. Novell. 157. cap. 8. 9.

f Vide l. 5. in fin. c. de sponsalib. adde Phot. 12. Nomocanon. 13.

g Vide Novell. 22. cap. 18.

h μετὰ τὴν ἱερολογίαν.

i decidendi ratio.

k διὰ τῆς συναφείας μυστικῆς.

l Caput uxoris maritus 1. Cor. 11. vers.

m αἰσχύνω καὶ ἀτιμάζειν. Serim.

n Hoc vult, Sanum ex furioso concubitu nasci non posse.

dictetum, indissolubilique in quodam amoris vinculo conjuges devinciens, propagationem generis, & si quid aliud matrimonium jucundum reddit, consecrat. At furori quaeso quomodo, cum hoc sacrificii proposito conveniat? Ubi enim pudicitiae integritas, quando mens seipsum non novit, miserabilique ignorantiae infortunio premitur? Unde verò propagatio generis speretur, quum furor spectaculum solo aspectu horrendum miserae uxori miseriorem maritum exhibet, nedum ipsi cum illo consuetudinem habere permittit? Quali porrò amoris vinculo colligentur, quum morbus universum hominem auferat, & ut quidvis potiùs, quàm homo videatur efficit? Ac profectò si fortè ex tam infortunato connubio foetus in lucem prodeat, quum naturâ fructus rebus, ut plurimum assimilare soleat: quomodo non hic ipse foetus humano generi commune detrimentum adferret? Mihi agitur propter haec etiam matrimonium post furoris correptionem solvendum esse constituere, justum, rationique esse consentaneum, neque ad reprobationem matrimonialis benedictionis, neque aliud quodpiam crimen vergere visum est. Quòd si quis sanctionem à crimine non liberet, hic apud se furiosi matrimonii utilitati expensa, quantum momenti judicium suum habeat cognoscet.

PER ERROREM.

BASILII MACEDONIS.

Non fas esse, quartas ad nuptias progredi.

JAm olim à priscis scripta lex est, eademque à piissimo Justiniano confirmata, per quam usque ad quartas etiam nuptias iis, qui volunt, matrimonia permittuntur: fortassis hoc respiciente, quod usu venire plerisque soleat, ut citò matrimonii consortem amittant, vel ut juvenibus hoc accidat, qui naturae cupiditatibus obsistere nequeunt: ideoque ipsis contingere, ut à castis quidem nuptiis divertantur, ad prohibitos autem concubitus sese conferant. Oportebat verò nos quoque, velut ejusdem tam naturae, quàm imbecillitatis consortes, priscis in hoc legibus acquiescere. Sed à lege divina nos praepediri cernimus. Propterea serenitas nostra solutio amantium cupiditatibus frenum injicere volens, usque adeo, quemquam ad matrimonium quartum progredi vetat: ut etiam tertium contrahentes ad

ad Ecclesiasticos canones ableget. Ideoque ut eadem jura procedant in tertio quoque conjugio, quæ & in quarto, manifestum omnibus esto, futurum, ut si quis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias, accedere, non solùm pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec liberi ex iis procreati pro legitimis adgnoscantur: verùm etiam ut ipse pœnis pollutorum scortationis sordibus subjiciatur, ejusmodi videlicet personis à se invicem separatis.

II. *Non fas esse, concubinam habere.*

l. 5. C. ad S. C. Orphit. l. ult. C. commun. de manum.

Quoniam apud priscos liberum invenimus cum concubina consortium, quicumque tandem consuetudinem habere cum ea vellet: visum est nobis, hanc quoque legem silentio minimè prætereundam, ne per indecoras nuptias respublica nostra contaminetur. Quare præcipimus, ut ex hoc die nemini liceat in domo sua concubinam habere. Id enim parùm, vel nihil à scortatione differre putamus. Sed si vitæ societatem habere cum ipsa volet, matrimonium cum ea contrahat, secundùm juris subtilitatem. Quod si eam mulierem indignam se judicaverit, nihil cum ea commercii per coitum habeat: sed hac rejecta, quam convenire sibi judicaverit, accipiat. Sin castè vivere malit, sanè rem nobis optatam faciet.

III. *Qui matrimonium contrahere, vel non cogantur.*

Secundùm ea, quæ modo à nobis piè constituta sunt, qui castè, pudiceque vivit, à patre suo ne cogitor ad contrahendas nuptias, licèt in ejus potestate sit. At filiusfamilias vitam luxu perditam agens, matrimonium non recuset.

IV. *Non debere nuptiarum benedictiones clam fieri.*

Nullus secreto coronator, sed in præsentia plurium. Nam qui hoc facere fuerit ausus, pœnis subjectus castigator: sacerdote scilicet, qui se rebus indecoris interponit, meritas itidem pœnas luituro, juxta canonum Ecclesiasticorum constitutionem.

CON-

CONSTANTINI Porphyrogennetæ,

De polygamis.

UNionis verò decisio, quæ facta est sub Constantino Porphyrogenneta, & Romano, Constantino quidem imperante, socero autem ejus Romano patris Imperatoris dignitatem obtinente, anno 6429. indict. 9. & quæ singulis annis legitur in suggestu, mense Julio, hæc dicit circa finem.

a Quartæ nuptiæ vel permissæ.

b Tertiæ nuptiæ quemadmodum permissæ.

c Secundæ, & primæ nuptiæ uti permissæ.

DEINCEPS autem communi sententia, ac judicio pronuntiamus, ex præsenti anno, qui est 6429. indict. 9. neminem oportere se quarto *a* matrimonio jungere, sed esse omnino rejiciendum; & si quis ad ejusmodi conjugium venire voluerit, esse omni Ecclesiastica congregatione privatum, & ab ipso in sanctum templum ingressu alienum, donec in conjugio permanserit. Hoc enim etiam sanctis patribus, qui nos præcesserunt, visum est. Nos verò etiam sententiam apertiorem reddentes, ipsum, ut à Christiana Republica alienum, abdicamus. Ac sic quidem de quarto matrimonio.

Ut autem quæ ad alia quoque matrimonia pertinent, decentiùs constituantur, & non Christiana vita indignam institutionem habeant, de tertio *b* quoque matrimonio definimus, ut non absolutè, ac simpliciter, & temerè perficiatur. Etenim à patribus quidem, ut sordes permissum est, non sic tunc quidem, ut nunc, re citra ullum ruborem impudenter peracta, & indiscriminatim contracta: sed quemadmodum si quis, qui in domo in angulum incidit, multas sæpe sordes viderit: nunc autem quando libertatem accepit, & perinde ac si nihil habeat dedecoris, & sordis reputatur, rectè visum est hoc repurgare, quemadmodum, & turpitudinem non in angulum conjectam, sed in ædibus diffusam, nullo modo permittimus, sed repurgamus, & quod molestum est, & indecorum ab eo rejicimus.

Quin etiam humanæ cedentes infirmitati, honestatis autem Christianæ vitæ convenientis curam gerentes, hoc in tertiis nuptiis servandum statuimus, ut si quis, qui quadragesimum annum excesserit, & nec naturam reveritus, nec honestæ vitæ, quæ in Christianis requiritur, ullam curam gerens, sed sola libidinis

perturbatione victus, se in tertium matrimonium projecerit, is cum omni diligentia, & observatione sit usque ad quinquennium sacramenti communionis minimè particeps: & ne hoc tempus illi contrahatur. Qui enim post annum quadragesimum sordem in Christi Ecclesia esse, vel dici amavit, quod melioris vitæ argumentum præbebit, propter quod tempus sacramentorum participationis ei contrahatur? Sed & postquam impolluta participatione dignus habitus fuerit, non erit ei permissum in alio tempore ad participationem accedere, quàm in sola salutari Christi, & Domini nostri resurrectione, per præcedentia jejuniorum abstinentiæ repurgationem. Hæc autem dicimus, quando ex prioribus matrimoniis non fuerint liberi, quæ iis post quadragesimum annum tertiam uxorem ducere voluerint. Nam si liberos habuerint, eis nullo modo tertium permittitur matrimonium. Est enim valdè iniquum tempestivæ libidini indulgere, priorum autem matrimoniorum liberis non prospicere, ut sint securi, & à molestia, & à perturbatione remoti, quæ solent evenire hominibus ex filiorum multorum susceptione.

CONSTANTINI in a Porphyranati.

Argumentum sequentis Constitutionis, & narratio, quinam Imperator Leo quartas nuptias contrahere fuerit ausus, & quo pacto per b tomum unionis ea sint abolita.

a Palatii nomen, in quo parere solebant Augustæ.
b scriptum, sive libellum.
c olim dicta Mæonia.

IMperator ille doctissimus Leo primam quidem uxorem habuit, sanctam Theophanonem, ex qua filiam procreavit, sed ea citò rebus humanis excessit. Itaque quum hæc sancta mulier migrasset ad Dominum, Zoæ, Stylìani Tzautzæ, qui ex proceribus, & amicis Imperatoris erat, filiæ jungitur. Illa quoque brevi temporis spatio sine liberis extincta, tertiam duxit uxorem Eudociam, ex c Opficii provincia oriundam, formæ nomine selectam: quæ in puerperii doloribus unà cum infante, moritur. Imperator autem ineffabili dolore correptus, quòd nullos sustulisset liberos; eorum gignendorum desiderio, quartam quoque ducit uxorem, Zoam Carbonopsinæ filiam, quæ Constantinum ei parit. Verùm Patriarcha Nicolaus, & Metropolitani ab Ecclesia Imperatorem segregant: eamque segregationem nonnulli Pontificum brevi spatio defi-

definiendam, non in longum tempus extendendam ajebant; aliis in hoc non adsentientibus, itaque dissidia inter eos erant, magnaque seditio: atque Imperatorem magnopere deprecantem, & orantem, alii recipiebant, alii contumaciter rejiciebant. Quum autem princeps ipse prudens esset, atque unde discordia Pontificum nata esset, haud ignoret: loco Patriarcham Nicolaum movet, Ecclesiæque finibus expellit, ut mendacem, & qui multoties quidem jurejurando confirmasset, ac promisisset, se Imperatori gratiam pœnæ facturum, at totidem vicibus animum mutasset, remque data opera extraheret. Ejus loco Patriarcham constituit, patrem suum spiritualem Euthymium, virum multis annis exercitatione solitaria nobilitatum, denique prophetici participem. Is Imperatorem à pœna facit immunem, atque à vinculo diuturno liberat, & ad communionem admittit. Sed erant adhuc multi Pontifices, qui dispensationi Patriarchæ non adsentiebantur: præsertim ii, qui ab expulsi Nicolai partibus stabant. Postquam autem Leo Imperator ad Dominum migrasset, frater ejus Alexander Imperio potitus, Euthymium Patriarcham ab Ecclesia cum contumeliis expellit, inque locum ejus Nicolaum ejectum reducit; itaque magis etiam Ecclesiæ res turbulentæ erant, Metropolitania inter se divisis, ac partim ejecto Patriarchæ, partim restituto adhærentibus. Neque multum temporis intercedit, quum Alexander moritur, & Constantinus imperii factus est hæres. Is Nicolao Patriarcha, cum universo Pontificum cœtu, convocatis, (nam Euthymius ad Dominum jam migraverat) autor eis est, ut in unam sententiam, mutuamque concordiam redirent, patrique suo etiam post mortem communi decreto delicti remissionem concederent: edicto canonico promulgato, quo vetaretur, ne quis in posterum ejusmodi delictum auderet admittere; quo facto, tomus, sive scriptum hoc, quod unionis dicitur, editum fuit.

Imp. NICEPHORI Botoniatæ.

De solutione matrimonii ob furorem conjugis.

AT verò C. & G. I. Imperatoris domini Leonis Philosophi Novellæ statount, ut viro triennium duret, neque intra illud, postquam uxor furere ceperit, conjugium dirimat: mulier autem, nisi quinquennium præterierit, à furente marito non separetur. Legas quoque Novellam Imperatoris D. Nicephori Botoniatæ, quæ de furentibus conjugibus eandem differit.

Imp. ISAACI Angeli.

De nuptiis septimi gradus.

a Basilius Camaterus Patriarcha Constantinopolitanus.

SCias verò, licèt synodalis hæc decisio, & ipsam confirmans Imperatoria jussio consanguineorum in septimo gradu matrimonium minanter prohibeat: indictione tamen 4. anno 6694. cùm dominus Basilius a Camaterus Patriarcha esset, ab Imperatore nostro sancto domino Isaacio Angelo jussionem esse factam, quæ statuit, ne ex dictis actis, matrimonio post illa inter longè felicissimos Cæsares, dominum Joannem Cantacuzenum videlicet, atque germanam Imperatoris sororem dominam Irenen contracto, quamquam in septimum consanguinitatis gradum referatur, præjudicetur: sed quantùm ad illos, & quidem solos, quæ à synodo, atque Imperatore domino Manuele de istiusmodi nuptiis determinata sunt, inefficacia sint. Quod etiam à synodo approbatum est.

Idem Imp. ISAACI Angeli.

Ut tondeantur electorum Pontificum uxores; publicatum die xx. mensis Septembris, feria quarta, indictione quinta.

a *Bonefid.*
b *quum sacri.*
c regiæ, & sacræ circumspectioni manus sustinentes.
d ordinationem.

LEgitimam a Imperatoris sententiam non sine periculo delinquentes experientur. Ut enim dentibus acerba uva, oculis fumus nocet: sic iniquitas iis, qui ipsa utuntur. Quorsum verò mihi hoc orationis spectat præludium? Quum sacratissimus Cyzici Metropolitanus invenisset majestatem meam hodierno quoque die jura redentem, adsidentibus sanctissimo Domino meo œcumenico Patriarcha, & aliis sanctissimis Patriarchis, Antiocheno videlicet, & Hierosolymitano; nec abessent, qui tunc in urbe regia sacratissimi Pontifices erant, quorum nomina inferiùs continebuntur: propositum est, quosdam eorum, qui ad Metropoles, vel Archiepiscopatus electi, & ordinati sunt, quum uxores ante ordinationem haberent, non recusare quidem, quin primarii Sacerdotii chrismate inungerentur; sed eorum uxores eundem rursus mundanum

danum habitum induere, inverecundè agentes in iis ædibus, quas antea habitabant: nec fœmineis introductas esse Monasteriis, sed nec Deo seipsas dedicasse, & vitam delegisse monasticam. Et hæc, *b* quod sacri, divinique Canones expressim moneant, electos Pontifices à legitimis suis uxoribus, quas ante ordinationem habebant, omni modo abstinere: ut non ex præcepto, sed propria voluntate eorum quisque continentiam, vel cœlibatum proprium sibi deligat, propter dignitatem sacerdotii, aut propter matrimonii honestatem, conjunctionem castam præferat. Hæc dicens, varios canones allegabat, inter quos & quadragesimus octavus erat sextæ Synodi, hæc ad verbum compræhendens: Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi viri sui consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit etiam ad Diaconatus dignitatem provehatur. Lecto igitur hoc Canone, Imperium meum in hominibus agnoscens maxima dona Dei à superna clementia, & regni, ac sacerdotii divinitus concessam unctionem, & dignitatem ex uno, eodemque perenni fonte manare, humanamque exornare vitam, & amplificare: nihil etiam studiosiùs colens, quàm sacerdotum autoritatem, qui *c* regia, & divina speculatione manus erigentes, Deum pro universa Christiana multitudine deprecantur, & ut sacræ quædam ancoræ Imperialem potentiam suffulciunt; postquam etiam Canones contemni, & infringi cognovisset in benè instituta republica, & quidem nostræ potentiæ, quasi non soluti essent creati Pontifices, qui suis uxoribus cohabitare non verentur; non parùm commotum est. Triste etiam quiddam, nec gratum in piissimum Chartophylacem mea intuens majestas definiit cohortantibus ad id sanctissimis Patriarchis, uxores creatis Pontificibus ante ordinationem conjunctas in muliebria monasteria procul sita ab habitatione Pontificum sine dilatione induci, tonderique eas, & canonicè apud Monachas degere, in quo Monasterio comam deposuerint: aut si ipsæ tonsuram recusent, qui eis ante *d* creationem juncti erant Matrimonio, Pontificali solio, & dignitate priventur, & in eorum locum alii sufficiantur. In posterum autem, qui ante creationem legitimam uxorem habebit, non aliter ordinari, quàm si communi conjugum scripto consensu, & placito, à se invicem separentur, & mulier Monasticam vitam amplexa sit. Sic enim creatio sine offendi-

sendiculo, & damno, juxta sacros, & divinos Canones procedet, semota ab omni Sacerdotalis ordinis reprehensione. Adsidebant ad meæ Majestatis Tribunal Pontifices, Cæsareæ, Ephesi, Cyzici, & alii non pauci.

Imp. ALEXII Comneni.

De nuptiis amitæ, & fratris filia cum filio fratris, & patruo. a

EXtat jussio semper celebrandi Imperatoris Domini Alexii Comneni, ad suggestionem proedri illius, & heteriarchi Bardæ Zeri, Mense Martio, indictione decimaquinta edita, & ad illius temporis sanctiss. Patriarcham Dominum Nicolaum, ac sanctam, divinamque Synodum missa, quæ amitam, & fratris filiam cum patruo, & fratris filio, tametsi sexti gradus cognationem ex affinitate obtineant, citra impedimentum jungi statuit. Quam jussionem Synodali subnotatione, quæ in memorati Patriarchæ Domini Nicolai codice reperitur, incertam legas.

De sponsalibus, Novella celebrandi Imperatoris Domini Alexii Comneni, emissa mense Julio, indictione septima anni (ab orbe condito) 6592.

SPonsalium, nuptiarumque terminos vetusta, superiorisque ætatis legislatio longè separavit; horumque intervallum magis, quàm Mysorum *b*, & Phrygum, *c* proverbium *d* notum fecit. Verùm, quæ sub felicis memoriæ Patriarcha Domino Joanne Xiphilino Synodi opera confecta est subnotatio (cui etiam perpetuò inter Imperatores celebrandum Dominum Nicephorum Botoniatem per aureæ bullæ scripturam autoritatem largitum esse, compertum est) quæ

a Permissis etiam in sexto gradu.

b Mysorum ultimus proverbium. Mysorum populus cótemptissimus habitus fuit. Cic. orat. pro Flacco, & Strabo 12.

c Phryx plagis fit melior proverbium, v. Cic. pro Flacc.

d Proverbium de Mysis, & Phrygiis versibus Trimetris hujusmodi fuit: *χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα: τὸ δὲ διορίζειν χαλεπόν*, sunt separati Mysorum Phrygumque termini, sed finire per quàm arduum est. Hi enim populi non satis stabiliter tutati sunt suos fines, suasque sedes, sed subinde aliunde alio depulsi terminos incertos reddiderunt.

quæ multum inter se distabant, in unum contraxisse cernitur. Qua ratione, quod synodica decisio de nuptiis promulgarat, hoc ille disertis verbis de sponsalibus censet, duobus fratribus duos patrueles sponsare non permittens. Atque promiscua quidem plebs indiscriminatim rem aggrediens, & se in Synodalis Statuti sensum mergere prorsus nequiens, sine ratione, quidnam sponsalia essent, fingebat, neque, quo pacto cautiùs firmarentur, exactè constituere valebat. Interdum etiam mentis suæ inconsiderantiam adversùs absolutam Ecclesiæ normam venditabat. Verùm Imperatoriæ nostræ majestatis pietas peritiùs consideratione auspicata, ubi apparentem contrarietatem rectè dijudicasset, per præsentem legislationem, optimam adinvenit consonantiam. Postea quam enim vetus lex sponsalia in sola contrahentium voluntate constituit, nihilque amplius, quàm de consensu, instrumentis, atque sponsalitiis arrhis elaborat: nobis autem vitæ negotia ad longè ornatius, magisque sacrum divina gratia devenerunt incrementum, atque hinc non nuptiæ solùm, verum etiam sponsalia peragendam sacram benedictionem sibi conjunctam habeant: ac certum tempus primæ conjugum conjunctionis per recentiorem sapientissimi Imperatoris Domini Leonis sanctionem est promulgatum (in maribus nempe, annus e ætatis decimus quintus, in fœminis decimus tertius: quod profectò tempus ad perfectam conjugum cohabitationem vetus lex sufficiens esse jussit) necessarium esse potentia nostra judicavit, ut per præsens oraculum firmiter definiat: propria illa esse sponsalia, & revera, secundum exactæ Synodalis normæ considerationem, cum nuptiis æquipollere, quæcumque tempus, quod Imperatoris Dom. Leonis sanctio determinavit, integrum sibi habuerunt, & sacra benedictio consecuta est, atque in illis Synodalis decisionis observationem valere debere. Si namque contrahentium alteram partem morte fortè aliove fortunæ casu, aut sententiæ mutatione recedere, ad aliudque vitæ consortium transferri contingat: non exiguus hic absurditatis tractus existet, si præambulæ nuptiarum preces in sponsalibus peractæ, tanquam vanum aliquid, & temerè accumulatum reputentur, & indiscriminatim ea res intelligatur, quasi Deus, per sponsalia inter conjungendas

v. Strabonem 12. Plinius quoque Mysiam in Phrygia collocat, v. Plinium lib. 5. Hinc Plutarchus ἐν γυμνασίοις, separatam ait esse Philosophorum, & Medicorum professionem, non aliter, ac Mysorum, Phrygumque fines. e v. Novellam Justiniani 100. c. 2.

das personas introductus non esset. Hoc autem commemoratus celebris Imperator rectè sequutus, sancti, universalisque sexti Concilii canonem, qui sponsam, dum sponsus adhuc in vivis est, cum alio in matrimonii consuetudinem coire vetuit, adulterium rem manifestè statuens: cum aperta veteris legis contrarietate, pulchrè conciliavit. Quoniam post benedictionem sponsis factam, separatio ea secundùm ejus vocem, justorum sponsaliorum est solutio. Quòd si sponsalia quædam secundum multorum consuetudinem congruenter jam contracta fuerint, & Instrumenta confecta sint, nondum autem statutum tempus, quo Christianis debita benedictio fieri consuevit, advenerit, neque solemnes super desponsatis preces per sacerdotem pronuntiatæ luerint: hæc sponsalia, quantum ad exactam Ecclesiæ dissertationem, neque esse, neque dici justa possunt, neque verò adversus hæc synodalis subnotatio efficaciam habet: sed tanquam hominum placita simpliciter per stipulationes confirmata, autoritatem ferunt, vetusque legislatio in illis firmitatem obtinet. Hoc enim pacto cum vetusta lex, qua antea de sponsalibus promulgata est, integra conservabitur: tum synodi judicium secundùm hic (positam) observationem, & intellectum, & interpretatum, intactum, atque intentatum, custodietur. Quandoquidem verò hæc ita sunt explicata, & hæc vera sponsalia designata sunt, quæ cùm sacra benedictione, statutoque tempore peracta esse noscuntur: quæ verò secundum antiquiorem legislationem fiunt, velut hominum placita stipulationibus constabilita, vim habere, atque soli priscæ legi, quæ certas personas ad sejunctam sponsam ingredi prohibitas recensuit, in his valere concessum est, quiddam cum conveniente Christianis honestate conjunctum, præsenti oraculo nunc etiam addi oportet. Quia enim non secundùm exactam, convenientemque rationem veteris, novæque legislationis decreta peragebantur, sed promiscuum vulgus antiquiori legum autoritati adhærescens, post septennale tempus citra dilationem sponsalia celebrabat, ac pro arbitrio quisque ad desponsatas ingrediebatur, continua consuetudine, atque libertate congressus ad colloquia amoris flammam accendens: sacratior autem pars Novellam Imperatoris jussionem sequuta, inter sponsalia, & nuptias distinctionem ponebat, primùm preces sponsalitias, ac deinde matrimoniales conjungendas accinens: atque conjunctim simul, & eodem tempore, quando interea vel minimum quiddam incideret, isthæc perficiebantur, & sponsalia, nuptiæque uno spatio peragebantur: hoc tanquam sine disquisitione

fiat

fiat, nostra pietas corrigens per præsentem generalem jussionem sancit, ut qui ad annum contrahentium septimum, & deinceps usque ad decimumquartum, aut duodecimum velut imaginarii sponsaliorum contractus fiunt, legitimorum, firmorumque sponsaliorum vicem non obtineant: sed tamquam confirmatæ stipulationes habeantur, atque secundum aliorum contractuum naturam operentur. Et ad hunc quidem modum apud omnes subditos nostros illa obtineant: ut tamen interim vetus lex, quæ de sponsalibus promulgata est in personas ad sejunctam sponsam ingredi prohibitas plenam efficaciam habere debeat: idque quo is status, quem in Christianorum repub. vigere convenit, augmentum accipiat. Nam tametsi ea res secundùm exactam rationem perfecta sponsalia non sint: attamen quia, quod agitur, sponsaliorum propositam habere videtur, atque inde nuptiarum fundamentum jaci incipit: magna profectò ratio est, quamobrem à lege prohibitæ personæ iterum impediantur, adeòque nemo impudenter procari præsumat, ut in uxorem assumere audeat, quam vetus lex sponsam alicujus factam, diremptis sponsalibus in alterius manum convenire non sinebat. Verumtamen ubi id tempus advenerit, quod sponsalibus simul, & nuptiis convenire judicavimus, (ubi nempe fœmina duodecimum annum, masculus verò decimumquartum excesserit) tunc in primis sponsalia decantandis sacris precibus, illorumque solemnibus (arrha videlicet, gratoque desponsatis osculo) observandis perficiantur: atque deinde exiguo, longioreve tempore, quomodo contrahentibus visum fuerit, intermisso citra recusationem legitimæ etiam nuptiæ procedant: non autem multùm disjunctæ res simul uno die, & sæpè una hora effectum sortiantur. Taliter enim ordine in nuptiis procedente; cùm lex vetus, quæ prohibitarum personarum catalogum fecit, illis non permittens ad sejunctam cognatæ personæ sponsam ingredi, observabitur, tum sapientiss. Imperator. Novella jussio decore in omnibus, & valere, & in republ. obtinere conspicietur, quia & contrahentes personæ ab intempestivis, & indecoris congressibus coercitæ, castam vitam docent, opportuno tempore, quando sponsalia nuptiasque ipsis perfici conveniet, cum sacra invocatione invicem congressuræ. Quòd si quis contra atque præsenti potentiæ nostræ constitutione prohibitum est, sponsalia conficere præsumpserit, neque hæc generaliter, & adversùs omnes promulgata, quæ in posterum obtinere debent ab ipsis Calendis ineuntis mensis Julii instantis 7. indictionis, anni 6592. sequi visus fuerit, & ante legitimum

tempus sacramque benedictionem arrhas pacisci fuerit ausus, aut etiam in mutuum conspectum contrahentibus personis convenire, atque inter se promiscua omnia habere permiserit: tabellio, qui arrhabonicum contractum conscripserit, à sua statione removebitur: qui verò ante tempus sponsalia confecerint, humanæ, divinæque Iræ se obnoxios reddent. Fiscus namque propter præsentis jussionis contemptum, per rerum domesticarum secretarium positam ex stipulatione in instrumentis, pœnam ab ipsorum singulis integram exiget. Credimus verò etiam ipsum Deum adversùs hos insurrecturum, quòd inter juvenes nequitiam palàm, & destinatò introducere non erubuerint. Etenim si vetus lex irrita facta est, & perfecta sponsalia confici nequeunt: verùm recentioris legislationis præscriptum ad effectum deducere contrahentes recusant: quid aliud faciunt, quàm homines sibi mutuò secundùm legem non obstrictos contra legem inter se corrumpi sinunt, juvenumque animis lascivos amores per pollutam conversationem ingenerant?

De solutione sponsalium.

Mense Martio, indictione decimaquinta, ann. 6600. suggestio Curopalatæ, & magni Drungarii Viglæ D. Jo. Thracensis, ex qua declaratio facta est Imperatoris D. Alexii Comneni, præcedentem ipsius Novellam de nuptiis confirmans, ac statuens, ne dissolvi possint sponsalia, quæ sacra benedictione munita sunt.

Domine mi sancte, quum quidam nuptiarum repromissiones liberorum suorum nomine contraxissent, deinde displicerent conventa, & sponsaliorum contractum rescindere conarentur, cumque supplicassent sanctæ tuæ majestati, & ad forum hippodromi remissi, in eo insisterent, ut pœnæ instrumento sponsaliorum comprehensæ præstarentur. & sponsalia dirimerentur. Cùm autem alii contradicerent, oportere hæc indissoluta manere, non ut antea, datione pœnæ dissolvi. & novellam tui imperii constitutionem de sponsalibus ante aliquod tempus emissam in auxilium suum allegarent: quæ à veteribus legibus recedens fecit, ne aliter perficerentur sponsalia, quàm si mas decimum quartum ætatis annum excessisset, fœmina autem duodecimum, solita precatione in sponsalibus facienda, cum aliis solemnibus observationibus, nimirum arrhabone, & osculo: ut inclyto Imperatori D. Leoni Philosopho constitutum est: & brevi tempo-

ris

ris spatio, vel etiam majusculo, ut iis, qui contrahunt, placuerit, nuptias differri, non eadem die, vel hora concurrere: Divisum est judicium in diversas sententias, sunt enim qui censeant, præstandas esse pœnas, & sponsalia solvi debere: allegantes, si id non procedat, nullam inter nuptias, & sponsalia fore differentiam, si quidem nuptiarum prærogativa sponsalia ornentur. Præsertim cùm arrhabonis ea sit natura (quemadmodum lex ait) ut si is, qui dedit, non impleat ea, de quibus convenit, amittat datum: sin autem is, qui accepit, reddat in duplum. Alii è contrario indissoluta manere sponsalia putant: dicentes, non esse consentaneum, ut quæ post liberorum perfectam ætatem simul parentibus placuerunt, eorum consensu, & sacris precibus obsignata, datione pœnæ rescindantur; hoc enim conveniens esse, & accidere, quando nudum vinculum processerit, aut etiam sponsalia post septimum annum initiata fuerint juxta veterem ritum, quæ nec sponsalia esse tuæ majestatis lex demonstrat. Sic igitur divisis judicum sententiis, tuæ majestati vilis servus ejus refero, quærens utri sententiæ adjicere se oporteat. Utraque eum pars probabilia proferre videtur. Et per venerandum rescriptum dari mihi postulo interpretationem, quæ dilucidè, pureque dubitationem solvat. Legis enim vigorem obtinebit in posterum: & oportet certam, puramque esse sententiam, ne postea ampliùs in controversiam revocetur. Et interrogationem quidem meam sancta tua majestas æqui, bonique consulat. Ego verò audacter etiam de tempore refero. Vilis enim servus tuus arbitror, justum non esse, ut eodem tempore sponsalia, & nuptiæ definiantur: sed parvam aliquam prærogativam, vel in tempore habeant nuptiæ, & à sponsalibus differant, quæ in eo nuptiis sint inferiora. Etenim hoc valdè profuturum spero Reipublicæ. Nam parentes amore, quo in liberos affecti sunt, victi, & quamprimùm iis providere festinantes, & securitatem adipisci temporis angustiis impediti, molestè, & graviter ferunt. Sunt autem qui, & ex contemptu mentiuntur amos, amore liberorum ad perjuria impulsi, quod si sublatum fuerit, & diminuatur sponsaliorum tempus, tum & quæ ex contemptu væcordia parentum sanabitur, & quæ ex hac contingere suspicamur mala, mendacium, & perjurium, convenienter reprimentur. Et sanctum imperium tuum gloriæ, magnificentiæ, & honoris fructum ineffabilem percipiet, & assiduas, intentasque preces, quandoquidem subditis conducibilia, utilia, & salutaria semper procurat.

S 2 Si im-

a Novella Leonis 74. & 89.

b Novella Leonis 109.

Si imperium nihil aliud est, quàm legitima præfectura: leges autem Rempublicam tuentur indemnem, procul expellentes, & ejicientes ea, quæ civili administrationi officiunt: regibus autem permissa est legis ferendæ potestas: opus sanè regium ad communem reipubl. utilitatem, legum interpretationem ab iis, qui rerum potiuntur, fieri, & earum quæ deficiunt, ad implementum solidi, & ad earum, quæ obscuræ sunt diiudicationem, quas vel ipsi sanciverunt, vel ante latas offenderunt, ab his exponi.

His convenienter cùm nostra majestas Julio mense præcedentis sextæ Indictionis anno 6592. legem fecisset, & Novella a constitutione Divi Leonis Philosophi, & Imperatoris fundaretur, definiente, ut prima contrahentium conventio sacra benedictione initiaretur, ipsa videlicet sponsalia, & tempus b certum, quod utique, & ad nuptialem conjunctionem sufficere lex antiqua statuit: instituit ea esse propriè sponsalia, & verè nuptiarum potestatem habere, quæ & tempus Leonis Novella definitum integrum habent, & subsequentem sacram benedictionem noverunt: & in his sponsalibus synodalis decisionis observationem in nuptiis obtinere, quemadmodum, & quæ tempore beati Patriarchæ domini Joannis Xiphilini ex synodali consultatione emissa declaravit annotatio. Cui & inter principes Inclytus Dominus Nicephorus Botoniata robur invenitur tribuisse. Disertè namque pronunciat, duos fratres non adsciscere sibi duas consobrinas per sponsaliorum conciliationem, neque etiam conjungi vetitis personis synodica decisione hujusmodi sponsalia contrahere licere. Quin potiùs etsi personæ hujusmodi sponsalia contraxerint, quæ alterius fortè partium morte dissoluta sint, superstes alia sponsalia prohibebitur contrahere cum ea persona, cum qua, si nuptiarum societas ei processisset, cum defuncta persona, contractum inire non posset.

Et secundùm ea, quæ in hac ab imperiali nostro culmine de his præscripta sunt, gubernari constituit eos, qui nostræ orthodoxæ, & Christianæ reipubl. sunt subjecti, neque omnino sponsalia initiari unquam, aut actum propriè sponsaliorum nomen sortiri, nisi in iis sacra peragatur benedictio, & nuptiis præstitutum tempus habeant. Etenim quæ aliter factæ fuerint, non sponsalia propriè, sed hominum placita, per stipulationem confirmata censeri, & tanquam talia effectum sortiri, veteremque

legisla-

legislationem in his vim suam obtinere. Et hæc quidem ab imperio meo accuratè tunc constituta sunt. Cæterum quia nihil de eo, quòd magnificè suggessisti, edictum est, quæ dictæ Novellæ constitutioni desunt, nostra adjicit potentia, & definit, talia sponsa, quæ propriè sponsalia sunt, immota manere, & inconcussa, ac indissolubilia, utpotè Deo inter eos, qui conjunguntur interveniente, & primam vitæ conciliationem confirmante, corroboranteque per sacrarum precum recitationem. Nunquam verò ipsa pœnarum resolventur dationibus. Neque enim hæc ex hoc tempore contrahentium instrumentis adscribentur. Nam quando solis pœnis corroborabantur, & ea adscribebantur, datione etiam earum infirmabantur, dissolvebanturque: nunc autem cùm Deus disjuncta conjungens, sponsalia roborat, & constabilit, indissolubilia prorsus remanebunt, quin facimus, ut horum solutio, perfecti matrimonii esse censeatur, perfecti enim matrimonii dissolutionem facere videbuntur, qui hæc sponsalia dirimere conabuntur. Sic igitur probabiliter, & cognatæ personæ, prohibitæ, cum sponsa, vel sponsæ sorore nuptias, aut sponsalia primas coeuntium conventiones contrahere ab hujusmodi contractibus arcebuntur. Si quidem nuptiæ juxta tempus antiquis, & recentioribus legibus, nostraque Novella constitutione præstitutum servabuntur, cum solitis his observationibus. Nec licebit cuiquam eorum, qui in republ. nostra degunt, præterea quæ præsenti majestatis nostra constitutione vetita sunt peragere quidquam, nisi Imperator (ut sæpè accidit) sponsalia, & ex sacra benedictione conciliationem intra definitos annos per dispensationem *a* quandam sponsis permiserit. Licet enim quibus à Deo rerum humanarum dispensatio commissa est, supra leges dispensare: ut philosophorum summus, & veteres legislationes dicunt. Licebit igitur principibus, quando voluerint, in angustum cogere, & contrahere per dispensationem, & utraque sponsalia, nimirum quæ secundum antiquam legem præscribuntur, fieri non minoris ætatis, quàm annorum septem, quæ, & imperfecta sponsalia censentur: & ea, quæ juxta Imperatoris D. Leonis philosophi summi legem, cum sacrarum precum recitatione celebrantur, & perfecta sponsalia existunt, utpotè cum nuptiis concurrens tempus habentia: & conjunctionem sponsorum, quæ per sacram benedictionem fit, nimirum perfectas nuptias intra præstitutos ipsis annos circumscribere, ante hanc lata constitutione

a οἰκονομίαν Indigentiam: unde & οἰκονομεῖν veniam dare.

ab

ab Imperatore philosopho summo. Nam ut, & sponsalia, & ex sacra benedictione conjunctionem sponsa intra præfinitos annos princeps decerneret, ab eo constitutum est. Quòd si sponsalia non sint perfecta, quæ per precationes in ipsis arrhis sponsalitiis confirmationem non acceperint, neque definitum nuptiis tempus consentaneum acquisierint: qui sponsa conventionem ex sacra nuptiarum benedictione decreto suo permittit, puberibus hanc, & impuberibus sponsis omnino decernere. Et hæc quidem ab Imperatoribus, per dispensationem quandam efficientur.

Non permittent tamen naturalem concubitum, sed ab eo repellent tam eos, qui per sponsalium sacram precationem initiandi sunt, quàm qui, per divinum carmen nuptialium precum conjunctionem suscipiunt, intra annos declaratis sponsalibus, & nuptiis præstitutos, & tam juxta leges antiquas, quàm novellas Philosophi regis constitutiones. Tunc enim naturalis coitus his concedetur, quando, & ab initio lege definitum est: nimirum mare decimum quartum annum excedente, & fœmina duodecimum. Donec autem vel ambo, vel alter eorum definitum annorum spatium percurrerit, eis non datur conjunctionis naturalis potestas, illo à parentibus exigendo, ac circa hujus rei custodiam negligenter, & segniter se gerant: ne præter decorum, & ab initio definitum naturali coitui tempus ad se invicem conveniant. Si enim per eorum incuriam hoc perpetratum fuerit, tam qui perpetraverit, quàm parentes ejus subjicientur pœnis legitimis eorum, qui virginem intra præstituta nuptiis tempora corruperunt. Sed & si, cùm Princeps per dispensationem aliquam tempus sponsaliorum, vel nuptiarum præciderit, contigerit ante benedictionem nuptiarum, & coronarum, post sponsalia sacris precibus initiata, sponsos morte separari, superstes persona contrahere nuptias prohibebitur, cum quibus contrahere prohibetur jam dicta synodali consultatione. Non erit enim superstitibus permissum ad hujusmodi personas ingredi, quòd tempus perfectorum sponsaliorum non invenitur concurrens. Nam quæ per Imperatoriam dispensationem peraguntur, id ipsum dispensationem pro tempore ferunt auxiliantem. Leges enim, ut sæpè dictum est, legem condere, & dispensare Imperatoribus permiserunt. Nam etsi in imperfecta ætate sponsalia, & nuptiæ fiant, eum talibus certè personis contrahere prohibebuntur, cum quibus contrahere perfectæ nuptiæ, & perfecta sacris initiata sponsalia non sinunt. Et hæc obtinebunt etiam in his, quasi perfecta æstimentur, contrahanturque, quæ

quæ & in perfectis nuptiis obtinent, quæ sine principis dispensatione fiunt. Constitutione igitur ante promulgata Junio mense 7. indict. anni 6592. juxta omnia, quæ ita disposita sunt, inviolabiliter obtinente, nullo enim modo per præsentem constitutionem mutilata est: quin potiùs repletur, & ad integritatem reducitur.

Quæ verò nunc, per præsentem, & in perpetuum valituram constitutionem nostra definiit serenitas, omnibus omnino manifesta, quàm primùm fieri curato, illustrissime Curopalata, & magne Drungarie *a* Vigiæ: ut nemo eorum, qui sub ditione nostra sunt, ignoret ea, quæ pro ipsorum utilitate à nobis sancita, & constituta sunt. Nam omnem Christianissimam multitudinem præsenti constitutione frui volumus, ne qui ex omnibus ignorantiam hujus constituti juris unquam prætendat: cui debes auxilio esse in omnibus judiciis, & omnibus, quæ nostri imperii sunt provinciis, & apud omnium ecclesiarum, quæ in iis sunt, præsules, eosque, qui observantur ab omni Christiana civilitate. Actum Marito mense præsentis 15. indictionis anni 6600. Excepto eo, quòd etsi sponsalia sacra precatione initiata debeant indissolubilia manere, non omnino tamen nuptiæ posthac indissolubiles servabuntur. Sed quibus ex causis hæ solutionem admittunt, iisdem & sponsalia dissolventur. Mense Martio indict. 15. rubris literis.

a De Drungario Bigiæ, vel Vigiæ dixi quædam in Nomenclatore meo Harmenopul.

De testibus, & benedictione matrimonii servorum.

Ege etiam Novellam Imperatoris domini Alexii Comneni, quæ edicta est de non admittendis testib. qui contra opponuntur, quando testes adducuntur ab eo, qui ad libertatem proclamat: & de eo, quòd liberi servi non fiant, qui sacram benedictionem acceperint, quæ his verbis hæc persequitur: Duo hæc ad aures mei Imperii pervenerunt, sanctissimè domine, quosdam eorum, qui ad sanctum, & magnum divini verbi sapientiæ templum accedunt, ad libertatem proclamantes, & genus suum ad libertatis offensionem allegantes: (dicunt enim se ex liberis parentibus esse natos Bulgaris fortè, vel aliquibus aliis, quos in servitutem nostra cepit Respublica) ea quidem, quæ dicunt demonstrari permitti: & postquam testes omni exceptio-

ceptione majores, & in quos nulla cadit criminatio, adduxerint, ad alios eis testes opponendos eorum dominos procedere. Et sic eos, qui proclamant, quum semper in judiciis subsistere non possint, servilis conditionis onere rursus opprimi. Et quando matrimoniales fiunt servorum conventiones, & conjunctiones in nostra republica, eas tamen sacram non sequi benedictionem, caventibus dominis, ne servos inter se invicem cum sacra benedictione conjungant, & ex eo ad libertatem perveniant. Eorum utrumque convenienti correctione opus habere censuit, & propterea hanc constitutionem magna cum cautione, & observatione edidit, per quam statuitur de iis, qui ad libertatem proclamant, servis, ne ii, qui contra adducuntur testes, vim ullam, locumve habeant, in quocumque seu civili, seu Ecclesiastico judicio: sed ii soli, qui proclamant, legitimas probationes afferant: & si ii quidem testibus abundent, qui jure sunt recipiendi, neque calumnia inducti, testium jurejurando judicium solvatur. Sed non aliorum etiam testium adversùs hæc productiones eorum dominis permittantur, ne magna adversariorum inæqualitas sit inferioribus damni causa: sed quemadmodum in iis quidem tributum solvont, lex beatissimi domini Basilii potentibus adversùs pauperis contrarias productiones non permisit, sic & hic dominis adversùs servos vis contrariæ productionis extincta erit: & sola apud eos valebit adversùs testes illata criminatio, contraria productione non omnino eis exclusa, qui ad libertatem proclamant, quando ii, qui trahunt in servitutem, eos adversùs illos, qui jure sunt liberi produxerint. Inferioribus enim, & imbecillis præsens constitutio gratificatur, & quod eos juvet subministrat: non autem pro majoribus, & potentioribus editur. Adjicit autem, & benedictiones non solùm in liberis, sed etiam in servis valere. Et nuptias non aliqui legitimas, & Christiana institutione dignas esse, & existimari, nisi etiam benedictio eos, qui conjunguntur, obliget. Absurdum enim esset, cùm una in omnibus Christiana fides valeat, & unus sit in confesso baptismus, per quem ad dominum deducti sumus, & eadem salus à nobis omnino speretur, nonnulli, hanc obortam esse suspicionem, quòd servi sint boni minùs participes, & liberi quidem matrimonio invicem conjungatur, priùs oratione colligati: servi autem à tali bono excidant: & Deum non assumant in congressus benedictione: velut metuant, si eum assumpserint, ne herus in dominio injuria

afficia-

afficiatur, illorum servitio privatus. Si a hoc autem locum habuerit, sanctum quoque baptismum timere oportet, ne servi à dominis alienentur: sed etiam immaculatorum mysteriorum assumptionem b, ne per eam ab illis quoque alienentur, quo fiet, ut in servis intereat magnum, & venerabile divinæ fidei nomen: & non solùm hominum, sed etiam diaboli servi fient homines. Eorum autem domini in periculum quoque venient, ne dum ministerio hominum privari formidant, à Dei gloria seipsos ab alienare sustineant. Sed neque hoc est rationi consentaneum, & sacram benedictionem in servis quoque valere, æquum, & Christiana institutione dignum est. Verùm enim verò fortuna novit, in hominibus diversa esse dominium, & servitutem, & quæ nostra accepit Respublica, ea in iis quoque valere oportet. Unus autem dominus omnium, una fides, unum baptisma, & quod ad fidem quidem attinet, dominii, & servitutis differentiam non cognovimus. Omnes enim sumus ex æquo servi ejus, qui nos suo divino, & vivifico sanguine redemit. Et quoniam hæc sic rectè, & utiliter constituta sunt, oportet magnam tuam sanctitatem hæc omnia in omnibus Ecclesiis manifesta reddere: ut qui eis præsunt, ea quæ ad libertatem pertinent, sic examinantes, contrarias testium productiones adversùs servos dominis non permittant, & omnibus in suis provinciis manifestum efficiant eos, qui non cum sacra benedictione servos invicem conjungunt, non Deo gratiam inter eos matrimonium constituere, sed fornicatorium coitum, & stuprum confirmare. Quos enim non conjungit Deus per sacram benedictionem assumptus, hi omnes ad peccatum conveniunt: & sicubi hoc ab aliquo, quicunque is fit, factum, renuntiatum fuerit, sciant domini, se non solùm iræ divinæ fore obnoxios, sed à servis quoque abalienatum iri, eis abductis in libertatem. Cùm eis enim liceat, servos suos jure invicem conjungere, & integrum in eos habere dominium: nisi hoc fecerint, jure omnino ab eorum dominio excident, præsens autem constitutio non solùm debet in Ecclesiis,

a Benedictio sacra in servorum nuptiis non minùs consentanea est, quàm cõsentaneum, eos & baptizari, & ad sacram communionem admitti; quorum tamen interventus nulli in libertatem afferuntur.

b Conjugii hujus sacri adhibitione videbantur quodammodo liberi fieri: sic enim olim sub Ethnicis servi fiebant Latini convivii adhibitione. Cajus t. c. 3.

quæ ubique sunt, promulgari, sed in omni etiam civili foro deponi, tradi autem etiam iis, qui in provinciis magistratus gerunt. Quoniam autem in personis servilem fortunam habentibus nuptiæ priùs factæ sunt, & nuptiæ convenienter iniquè, quæ hucusque invaluit consuetudini processerunt, oportet in iis quoque sacram benedictionem fieri, ut per eam, etiam si tardè fiat, id quod, est colendum, ac venerandum, habeant: superioribus observationibus etiam in hoc conjugio obtinentibus.

Idem Imperator,

Rescriptum Imperatoris Domini Alexii, quod ratum esse jubet Novellam de Nuptiis, ab se priùs editam; utque sponsalia precibus sacris intervenientibus contracta, maneant indirempta, præcipit.

SI nihil aliud est regnum, quàm legitima quædam præfectura; nihilque leges aliud, quàm integritatis Reipublicæ custodes, procul removentes, & expellentes ea, quæ statui civili nocent; si denique leges ferre principibus licet: profectò imperatorium opus est, ad commune Reipublicæ commodum ab iis, qui rerum potiuntur, legum expositionem perfici, & ab iisdem supplementum eorum, quæ ad illarum integritatem desunt, & declarationem obscurè positorum tam in latis ab se, quàm in legibus, quas ante sancitas repererunt, promulgari. Hoc instituto majestas quoque nostra mense Junio præteritæ septimæ indictionis, anno VI C I Ↄ I Ↄ X C I I. legem ferens, & sapientissimi Domini Leonis Imperatoris constitutioni novellæ innixa, quæ definit, ut prima contrahentium conventio, videlicet ipsa sponsalia, sacræ benedictionis initiationem habeant, & certumque, & statutum tempus ætatis, quod nimirum ad nuptialem quoque conjunctionem sufficere jus antiquum sancivit: illa propriè sponsalia statuit esse, dubioque procul eamdem cum nuptiis vim obtinere, quæ etiam tempus illud, quod Imperatoris Domini Leonis constitutio determinavit, integrum habuerunt, sacrasque preces comitantes agnoverunt: quibus in sponsalibus tomi Synodalis observatio de nuptiis valere debeat: sicut & sub felicis memoriæ Patriarcha Domino Joanne Xiphilino, de Synodali consultatione promulgata, scriptura pronunciavit, quam Imperatorem clarissimum Dominum Nicephorum Botoniatam, con-

confirmasse constat. Nam ea disertè de sponsalibus quoque pronunciat, duos fratres sibi duas consobrinas per conciliationem sponsalium non adjungere; nec item personis in Synodali tomo copulari matrimonio vetitis esse permissum, ut inter se hujusmodi sponsalia contrahant: sed potiùs ex hisce personis, quæ hoc modo sponsalia contraxerint, si fortè per unius mortem sponsalia dirempta fuerint, eam, quæ superstes sit, alia sponsalia prohiberi contrahere cum illa persona, qua cum in matrimonium coire non poterat, si nuptiarum societas illi cum defuncto intercessisset. Ac secundùm ea, quæ in ista (Novella) de his sancita sunt à Majestate mea, gubernari eadem subditos orthodoxæ, Christianæque Reipublicæ nostræ statuit; nec umquam omninò sponsalia peragi, vel actui propriè sponsalium nomen tribui, nisi sacra quoque benedictio, nuptialique conjunctioni præstitutum tempus accedat. Etenim sponsalia, quæ aliter fierent, non sponsalia propriè, sed hominum placita, per stipulationem confirmata, ducere subditos nostros debere; nec putare, aliter hæc obligare, ac rata esse, quàm illa soleant; veteremque adeo legem in his vim suam firmiter obtinere. Et hæc quidem sunt, quæ id temporis à Majestate mea peraccuratè sancita fuerunt.

Quia verò nihil in ea de hisce sponsalibus, pœnarumve præstationibus dirimantur, an omnem extra mutationem (velut ipso Deo rata manere jubente) posita esse debeant, definiit, atque statuit: quando tua nunc suggestio visa est ei ratione non carere, quæ dictæ novellæ constitutioni desunt, nostra potestas adjicit, atque decernit, ut ejusmodi sponsalia, quæ propriè sponsalia sunt, immota, rataque maneant, nec ullo modo dirimantur: quum ipse Deus inter copulandos quasi medius interveniat, & primam hanc vitæ conjunctionem, per sacrarum precum imitationem, firmet, atque muniat. Nec umquam hæc sponsalia pœnarum præstationibus dissolventur. Non enim ab hoc tempore instrumentis, quæ inter contrahentea sponsalia conficiuntur, pœnæ adscribentur. Quippe dum solis pœnis confirmabantur, non solùm illæ adscribebantur, sed & iisdem præstitis, elanguescebant, & expirabant. Nunc verò, quum Deus, qui disjuncta copulat, sponsalia stabiliat, & firmet, non omnino indissoluta manebunt, nisi faciamus, ut eorum diremptus, perfecti conjugii diremptus esse censeatur. Nam qui hujusmodi sponsalia dirimere conabuntur, perfecti matrimonii solutionem facere videbuntur. Sic igitur haud abs re cognatæ personæ,

quibus est prohibitum, cum sponsa, vel sponsæ fororibus nuptias, aut sponsalia (quæ primæ sunt coeuntium copulationes) celebrare, ab ejusmodi contractibus retrahentur. Nuptiæ autem legitimo tempore, quod antiquæ, recentioresque leges, & à nobis promulgata novella constitutio definierunt, unà cum solemnibus earum observationibus celebrabuntur. Nec licebit ulli subditorum nostrorum in universum, quidquam adversùs hac præsenti potestatis nostræ constitutione vetita, & interdicta facere: nisi fortè (qualia multa frequenter accidunt) Imperator ipse per dispensationem quamdam sponsalia, cum copulatione, quæ fit sacris votis intervenientibus intra definitos annos personis, quæ despondentur, ex decreto permittat. Nam licet iis, quibus à Deo dispensatio rerum mundi hujus est commissa, supra leges dispensare: ut cum * Imperatore sapientissimo, vetustisque legibus loquamur. Itaque licebit hoc Imperatoribus, quotiescumque voluerint, in angustius cogere spatium, atque contrahere per dispensationem, & utraque sponsalia, (videlicet tam ea, quæ secundùm jus vetus à non minori septem annis peragi debere sancitum est, adeoque imperfecta sponsalia dicuntur, & censentur, quàm quæ secundùm sapientissimi Principis domini Leonis legem conceptis sacris precibus contrahuntur, perfectaque sponsalia sunt, ut quibus ipsa quoque temporis ratio respondeat) sicut, & conjunctionem, per sacras efficiundam preces, plenas scilicet nuptias, intra præstitutos annos contrahentibus circumscribere: quæ ipsa quoque lex à dicto sapientissimo Principe jam ante sancita est. Nam quod tam sponsalia, quàm ex sacra benedictione copulatio, contrahentibus intra definitos illos ætatis annos, ex Imperatoris decreto permitti possint, ab illo Principe lata lege constitutum est. Quòd si sponsalia plena non sunt, quæ per precationes in arrharum sponsalitiarum traditione nullam confirmationem nacta fuerint, nec constitutam nuptiis ætatem comitantem habeant: qui contrahentibus ex votorum sacrorum conceptione, quæ fit in nuptiis, conjunctionem decreto suo permittit, idem & adultis hanc, & impuberibus sponsis omnino decernit. Et hæc quidem ab Imperatoribus, per dispensationem quandam fient.

* Novell. Leonis 109. & l. 31. D. de legibus l. 1. in princ. D. de const. princ.

Non tamen naturalem eis coitionem permittent, sed ab ea tam illos arcebunt, qui per sponsalium sacram precationem initiabuntur, quàm qui per divinum carmen eorum votorum, quæ conci-

concipiuntur in nuptiis, copulantur intra significatis sponsalibus, atque nuptiis adsignata tempora, secundùm vetustas illas leges, & Novellas itidem sapientissimi Principis illius constitutiones. Nam illa ætate naturalis eis coitio liberè concedetur, quæ jam olim legibus, & consuetudine recepta est: mare videlicet annos decem, & quatuor excedente, fœmina verò duodecimum jam prętergressa. Quàm autem diu, vel ambo, vel eorum alteruter, statutum annorum numerum adhuc quasi currendo necdum attigerunt; licentia naturalis congressus eis non permittetur, & à parentibus exigitur, ne custodiendis iis se negligenter gerant: ut ne scilicet, pręter conveniens, & jam olim adsignatum consuetudini naturali tempus, inter sese coeant. Quippe si, per horum culpam, & negligentiam id committetur, tam is, qui commiserit, quàm ipsius parentes, constitutis per leges pœnis eorum subjicientur, qui virginem ante desinita nuptiis tempora vitiant. Quin, & si Princeps aliquando, per dispensationem quamdam sponsaliorum, nuptiarumve tempus deminuerit, & ante benedictionem nuptiarum, atque coronas sponsalibus jam per sacra vota peractis, morte desponsos separari contigerit: superstes persona, cum personis iis, quibuscum in matrimonium coire, per indicatam antea synodalem cognitionem prohibetur, nuptias contrahere vetabitur. Non enim licitum superstitibus erit, cum hujusmodi personis in manum convenire, propterea quod perfectorum sponsalium tempus non concurrisse constet. Nam quæ, per imperatoriam dispensationem peraguntur, ipsam hanc dispensationem temporis loco, sibi subvenientem adferunt. Ex legibus enim, veluti sæpè jam dictum est, Imperatoribus tam condere leges est permissum, quàm dispensare. Quippe licèt ætate necdum plena tam sponsalia, quàm nuptiæ contrahantur; cum ejusmodi tamen personis hi contrahere vetabuntur, quibuscum eos perfectæ nuptiæ, perfectaque sponsalia, sacris intervenientibus votis celebrata, contrahere non sinunt. Adeoque obtinebunt eadem in his, veluti loco perfectorum habendis, & ad perfectionem deducendis, quæ & in perfectis nuptiis obtinent, absque Principum dispensatione factis: publicata mense Junio, indictione septima, anno VI CIↃ IↃ XCII. constitutione secundùm omnia, quæ in ea sancita sunt, inviolabiliter vigente. Non enim ex ulla parte per hanc legem est mutilata, sed potiùs heic suppletur, & ad perfectionem ampliorem perducitur. Quæ verò jam, per hanc præsentem, & in perpetuum valituram constitutionem nostra

statuit

ſtaruit Serenitas, omnibus omnino manifeſta fieri curato, illuſtriſſime Curopalates, & magne Drungari vigilum: ut nemo ſubditorum Imperii noſtri ea, quæ pro ipſorum commodis à nobis ſancita, conſtitutaque ſunt, ignoret. Nam univerſum Chriſto addictiſſimorum hominum corpus præſenti conſtitutione frui volumus, ne quis ex omnibus aliquando ſanctionis hujus ignorantiam prætendat: quæ quidem abs te proclamando publicari omnibus in judiciis, & omnibus Imperio noſtro ſubjectis provinciis, & ad omnes in eis omnium Eccleſiarum Præſides; adeoq; ab univerſa Rep. Chriſtiana debet obſervari. Facta menſe Martio, præſenti decima quinta indictione, anno VI CIↃ IↃC. Sed licèt tamen ſponſalia, ſacris intervenientibus votis peracta, manere prorſus indirempta debeant, non tamen magis etiam, quàm nuptiæ, indirempta ſervabuntur: ſed quibus ex cauſis hæ ſolutionem admittunt, iiſdem & ſponſalia diri-mentur. Menſe Martio, indictione XV. rubris literis Imperatoriæ, ſacræque manus.

De nuptiis amitæ, & fratris filiæ, cum filio fratris, & patruo.

Ex ſcriptis Balſamonis.

a Præfecti ſodalitatum.

EXtat edictum laudabilis Imperatoris Domini Alexii Comneni, promulgatum ad ſuggeſtionem Præſidis, & a Heteriarchæ illius, Bardæ Xeri, menſe Martio, indictione decima quinta, & miſſum ad ſanctiſſimum id temporis Patriarcham Dominum Nicolaum, & ad ſacram, ſanctamque Synodum; quod ſtatuit, abſque ullo impedimento amitam, & fratris filiam, cum filio fratris, & patruo jungi; tametſi cognatione ſexti gradus ex affinitate ſeſe contingant. Quod ſanè mandatum legere poteris, inſertum Synodicæ ſcripturæ ſubſignatæ, quæ in memorati Patriarchæ Domini Nicolai, codice reperitur.

Edi-

Edictum Imperatorium, quod dissolvit, ac rescindit contractum septimi ex cognatione gradus matrimonium: & si factum non sit, fieri prohibet.

TAm sanctissimus Dominus meus, & universalis Patriarcha, quàm Christi Pontificum conventus, etiam modò de divinorum, sacrorumque canonum observatione sollieiti, receptamque usu in actibus Synodicis de communibus causis consuetudinem retinentes, ad religiosam quoque Majestatem nostram referre decreverunt, quæ essent ab se statuta, recteque definita de iis, quæ in disceptationem Synodicam vocata fuerant; an scilicet ii, qui septimo se gradu sanguinis contingunt, propinquitatem cognationis haud ignorantes, & curiosè tamen Ecclesiam de futuro contractu non consulentes, atque ita in matrimonium coeuntes, indirempti quidem manere, sed pœnis subjici debeant: an potiùs talis facinoris reos, divelli ab se invicem oporteat. Et quidem expositum de hac quæstione scriptum potestati nostræ obtulerunt, jus Maiestati nostræ debitum, ceu Principi gubernationis gnaro, integrum servantes, & ipsam quoque censuerunt interrogandam, an ejus etiam judicio, quæ decreta essent, probarentur. Hoc enim in primis esse necessarium perspexerunt, idque rectissimè, ac justa sanè de causa. Prorsus autem ipsi matrimonialem ex hoc gradu conjunctionem prohibuerunt, ac planè non permittendam sanciverunt. Neque solùm si res ad Ecclesiæ consultationem referatur, sed etiam ante hanc interrogationem in opus deductam copulationem dirimendam, ac rescindendam, veluti, quæ & in naturam, & legem Divinam impingat. Exceptis tamen iis nuptiis, quæ ante id tempus ex hoc gradu contractæ fuissent. Nec id modò, verùm etiam, si qui præter hanc sanctionem Synodicam agere ausi fuerint, cum divortio segregationis quoque pœnas multandos. Itidem & eos, qui eis assensi fuerint, severitatem canonicam experiri debere. Præterea sacerdotes ab officio removendos, qui nuptias precibus sacris initiaverint. Et quoniam multa sæpe numero matrimonia contrahuntur cum personis Imperatorii generis, aliisque nobilissimis, & dignitate conspicuis, itidemque cum personis exterarum regionum, quibus Reges & Principes præsunt, in hanc reginam urbium venientibus, quæ sine Potestatis nostræ jussu omnino perfici non solent: æquissimum erat, Majestatem quoque nostram

ſtram certiorem reddi de iis, quæ de hac neceſſaria quæſtione ſancita per Synodum eſſent, ne fortaſſe per oblivionem illicitus aliquis hujuſmodi contractus ſacriſque canonibus, & legum edictis haud reſpondens, accidat; idque hac ipſa in urbe, quæ & cæteris omnibus ob Imperii mitram, ac diadema præſidet, & legibus in univerſum regitur, quaſique commune quoddam exemplum rectæ legum obſervationis univerſis eſt propoſita. Enim verò noſtra quoque Majeſtas Synodicum hoc de re quæſita reſponſum, vel veriùs loquendo determinationem, veluti ſacris canonibus ſanè, quam convenienter, & Apoſtolicis expoſitam legibus, ſuo decreto comprobat, & in poſterum vigere, ratamque manere citra mutationem aliquam in perpetuum ſtatuit; eandem in quæſtionis propoſitæ ſolutione ſententiam cum Sanctiſſimo Domino meo, & univerſali Patriarcha, cumque ſacra, & divina Synodo amplectens. Quippe ſi matrimonia quædam ob affinitatem legibus prohibentur, decoris ſcilicet cauſa, & ne nomina confundantur, multò magis heic iſtuc liberè faciundum, ubi fœditas ipſa cum nominum conturbatione concurrit, atque etiam cognati ſanguinis abſurdiſſima commiſtio, & confuſio. Cur iis obſecro, qui cæteroquin è propinquo, ac ſanguinis ratione juncti ſibi ſunt, alia ſit opus commiſtione, & copulatione? Nimirum illis concilianda eſt colligatio, nuptiarumque conjunctio, quibus originarius ſanguinis ortus multipliciter ſciſſus, ac diviſus, jam longiùs eſſe remotus agnoſcitur, ad octavum deductus gradum, ideoque diſtantiam ſuam magis adaugens. Sic ergo pia Majeſtas noſtra Synodali de dicta quæſtione decreto adſentiens, præſentem hanc ſanctionem æquiſſimam promulgavit, quæ & in ſacro ſcrinio majoris illius Eccleſiæ Dei recondi, collocarique debet, & omnibus Archivis publicis innoteſcere, ac robur inviolabile ad omnem temporis infinitatem retinere. Dat. menſe Aprili, indictione XIV. rubris literis ſacri Imperatoris noſtri. Item aderat uſitatum ſigillum cereum. Et illud *a* per diſcuſſorem Dromi, Michaelem Hagiotheodorirum. Item illud Depoſitum in duobus magnis illis ſecretis, menſe Majo.

a Logothetam, vel curatorem Dromi.

De

De tomo Sisinnii, qui est de nuptiis duorum fratrum cum duabus consobrinis: publicata Mense Junio, indictione VIII.

UT utraque rectè serventur, & colantur, Imperialium, & *a* sacerdotalium jussionum Majestas, legumque, & canonum subtilitas: nec *b* decisio omnino solvenda est, nec rursus permittendum, ut omnino exerceatur; sed media quadam, & regia, ut ajunt, via est incedendum: & utrumque est conservandum, nempe & reverentia, quæ debetur Antistiti, qui *c* illam decisionem conscripsit, & Imperatoribus, qui illius decisionis meminerunt, & videndum, ne quid, quod à legibus, canonibusque discrepet, suadeatur, quod hæc induxit decisio. Oportet enim contractum ea decisione introductum, jam quidem etiam ante interrogationem perfectum non dissolvi: sed eos, qui sic matrimonio conjuncti sunt, pœnis impositis gravari, judicio, & examinatione illius loci Antistitis, & conservari conjugium. Quod si prius sciscitatum accesserint, non concedere sine convenientibus pœnis, & mandatis, propter eam, quæ superiùs dicta est, reverentiam. Nec liberè, ac securè, nullaque (ad eos retardandos) allata causa sciscitantibus permittere, sed cum mandato; vel ipsos potiùs ab Ecclesia, dictæ decisionis, & eorum, quæ in illa decernuntur, commemorationem accipere. Et si decretum quidem honorare volentes, quæque in eo comprehensa sunt, velint inconcussa servare, sunt omnino laudandi: sin autem, quod ab eo vetitum est, velint agere; hoc eis facere permittetur, convenientibus tamen eis priùs pœnis impositis.

Bonefid.

a Pontificiorum.

b nec scriptum illud omnino est abrogandum, nec rursus permittendum, ut ratum sit.

c illum tomum.

a ALEXII.

De nuptiis septimi gradus.

PRæsidente Alexio sanctissimo, & œcumenico Patriarcha ad dextram partem Catechumeniorum, assidentibus ipsi piissimis Metropolitanis, Nicolao Ancyræ:

a Vixit sub iisdem cum Sergio Principibus, & sub Argyropulo, Paphlagone,

gone, Calaphate, Monomacho.
b Cubuclisius oriundus ex Euripo.
c causa, vel negotio.

Constantino Patrarum: Laurentio Dyrrhachii: & Constantino Chomarum: adsistentibus Ecclesiasticis Magistratibus, adfuit Joannes b Cubicularius, qui ex Euripo appulerat, & hanc proposuit quæstionem: Georgius (inquit) & Nicolaus fratres; filia Georgii Theodotę, Helena autem Nicolai; & rursus Theodotę filius Demetrius, Helenæ autem Basilius: Demetrii filia Theodotę cum Basilio nuptiis conjuncta est; quærebat legitimæ essent nuptiæ, nec ne. Quoniam igitur Basilius septimo gradu Theodotæ constitutus est, lex autem nuptias permittit iis, qui octo gradibus à se invicem distant, iis autem, qui sex, prohibet: at iis, qui septimo sunt gradu, nec permittit, nec vetat: & ob eam rem, cùm similes sæpè motæ essent controversiæ, institutum est, hujusmodi nuptias antequam processerint, non permitti: postquam verò factæ fuerint, non distrahi quidem, sed eos, qui sic conjuncti sunt, pœnis subjici: idem fieri rursus definitum est literis dominicis de simili c specie scriptis ad Leonem piissimum Metropolitanum Athenarum, & Syncellum.

Figura septimi gradus cognationis.

F R A T R E S,

Georgius.	Nicolaus.

C O N S O B R I N I,

Theodotæ.	Helenæ.

S O B R I N I,

Demetrius.	Basilius.
Theodotæ.	

De

De quodam, qui suo filio per nuptias conjunxit filiamfamilias alterius, sine patris ejus consensu.

PEtrus cognomine Bombylas, è Græcia *a* profectus, de nuptiis lege non receptis nostræ retulit mediocritati. Nam me absente, inquit, Nicetas ille cognomine Chalcutza, uxorem meam Calam, & filiam Mitzam, domum suam deducens, sacram precationem fieri curavit, & filiam meam Mitzam cum Leone filio *b* Anthimo conjunxit * hæc proponens, petiit, ut tam injustum dissolveretur conjugium. *c* Si igitur præter conquerentis voluntatem, filiam ejus duxit quispiam uxorem: & neque initio, neque postea contractui consensisse reperitur, sed eum semper improbasse apparuit: hujus filiamfamilias ab eo, qui malè ei conjunctus est, separato. Hujusmodi enim conjugia leges oderunt, & aversantur, neque pro nuptiis habent: ut prudentia tua novit. Sacri etiam canones procul à *d* civili administratione repellunt. Ideoque in divinis excellens *e* Imperator, ea nihil à scortatione differre ait. *f* Nam nuptiæ non fiunt (inquit) nisi consentiant, qui conjunguntur, iique, quorum in potestate sunt. Et multis in locis nuptias contractas præter eorum sententiam, qui in potestate habeant coeuntes, apertè pro nullis habet. Magnus autem Basilius alicubi: Puellæ (inquit) quæ præter patrum voluntatem nupserunt, scortantur. Reconciliatis autem parentibus, medelam videtur accipere, quod factum est; non continuò tamen ad communionem restituuntur, sed tribus annis censuræ subjicientur. Alibi autem, nuptias sine iis, qui potestatem habent scortationes esse: quòd si domini conjunctioni annuant, tunc *g* nuptiæ robur accipiunt. Illud pulchrè monebitur *h* tua facundia, legem esse,

a Oriundus, filius in Christo noster, de

b filio Anthimi Protospatharii conjunxit. Hæc proponens.

c conjugium. Propterea pietati tuæ scribo, ut negotium hoc diligenter perquiras, ac si quidem præter conquerentis.

d è republica expellunt.

e Basilius, ea nihil.

f Nam lex quidem, nuptiæ non fiunt, inquit, nisi

g nuptias robur accipere.

h tua eruditio.

i An Petri causa talis sit, & an ignorabatur, ubi degeret absens, & nam superstes esset.

k hoc pro ingratitudine haberi non posse.

quæ jubet, si per triennium pater ignoretur ubi degat, & an supersit, posse utriusque sexus liberos ejus legitimum matrimonium contrahere. Quòd si ante triennium liberi captivi, aut absentis nuptias contraxerint, & constet, personam non displicere patri, ratas esse nuptias. *i* Petri causa nequaquam est hujusmodi: etsi fortè ignorabatur ubi ageret, & an superesset. Si enim sæpe sic se res habet, juxta vim legis quæstio terminanda est. Tuam autem non latet eruditionem jus illud, quod ait: Si cui parentum volenti virum dare suæ filię, vel nepti, & dotem secundùm facultates proprii patrimonii pro ea pręstare, illa non consenserit, sed turpem agere vitam maluerit, licere patri exhęredem eam facere: quod si filia ad vigesimum quintum ętatis annum pervenerit, & parentes eam viro conjungere distulerint, forteque inde acciderit, ut in suum corpus peccet. *k* flagitium hoc ei non imputari: quandoquidem non sua, sed parentum culpa hoc noscatur commisisse. Videndum igitur, num fortè Petri filia vigesimum quintum annum excesserit; tunc enim si quid pręter patris voluntatem fecerit, non damnabitur. Si verò nihil tale contigit, sed contra legem omnem filiafamilias Petri, pręter ejus voluntatem, nupserit; non solùm conjunctos per tuam celebritatem disjungi oportet, sed & eos, qui auxilium ad id tulerunt, corrigi: & sacerdotem, qui sacram precationem facere ausus fuerit, ad loci Episcopum remitti, dignas audacię pœnas luiturum. Quòd si res etiam aliquę (ut prędictus asseruit Petrus) ipsius domo translatæ sunt ad domum ejus, cui filia nupsit, eas recipi, eique restitui. Exigenda autem est etiam juxta tenorem legum stupri pœna, & parti ejus, quæ corrupta est, præstanda.

Dat. Mense Aprili, indictione . . . . anno VI CIↃ. IↃ. XLVI.

a MI-

a MICHAELIS.

Exemplum editæ Synodalis Sententiæ, sub Michaele sanctissimo, & universali Patriarcha, à Niceta sanctissimo Protosyncello, & Chartophylace magnæ Ecclesiæ, anno 6565. 5. Indict. Ne nuptiæ fiant septimo gradu.

Retulisti, sanctissime, ad nostram mediocritatem, cùm quidam sobrinis nati, nuptias secum invicem inirent, te in præsenti eas prohibuisse, & quæsiisti per literas, an non oporteat eos prohibere, sed permittere ulteriùs progredi. Nosti verò piissimè qualia de nuptiis legumlatores sanciverint. Ajunt enim: inter ascendentes, & descendentes in infinitum nuptiæ prohibentur, inter eos autem, qui sunt à latere, est quædam prohibitio. Vox, *Quædam*, opposita ei, quod est in infinitum, particularem inducit prohibitionem. Idque manifestum fit ex iis, quæ rursus leges dicunt: Nuptiis conjungi prohibentur fratres, consobrini, & qui ex iis nati dumtaxat. Quid hac lege clarius requiri potest? nihil. Quonam modo conabitur quispiam prohibitionem, aut permissionem aliam facere supra eam, quæ sancita est? Si igitur terminum prohibitionis ex eadem cognatione nuptiarum legislator fixit ad sobrinos usque, & quæ iis ulteriora sunt, indefinita reliquit, nemo est, qui legitimum terminum egredi possit, contrarium enim constituit. Audi etiam expressim permittentem nuptias natorum ex sobrinis. Hęres, inquit, scripta sub conditione, *b* si pronepoti propatrui, proavunculive pronepoti nupserit, impleat conditionem; non enim turpes sunt nuptiæ. Quid ita? quia octo gradibus separantur. Etsi enim eandem

a Cerularius hic dictus fuit, & sub Monomacho, Theodora, Michaele, Comneno primo, augggg. vixit.
b si sobrini filio nupserit.
c semen.
d legum constitutioni adversa.
e nurus.
f Lex enim manu me ducens ostendit, quas hujus cognatas non ducam.
g & periculosè.
h & turpem erga illam amorem abolens, velut.
i magna cum licentia.
k perlegens.
l indicem.
m misimus scripto comprehensa. Tu autem his etiam plura per ingenii solertiam inveniens, pulchro pietatis serto de nuptiis inqui-

inquisita condecorabis, atque ita hoc de matrimoniis argumentum omnino perpolitum efficies.

dem radicem, idemque c genus communicent sobrinorum filii, graduum tamen intervallum, & legislatoris verba, ad unionem rursus cognationem vocant, connubii jure concesso. Sextus enim gradus, & inter eos, qui sunt ex transversò, & inter affines, impedit omnino nuptias, & jam contractas dirimit, Rursus gradus octavus permissam habet conjunctionem, sive ii, qui coeunt, sint à latere cognati, sive affines. Circa septimum gradum omnis consistit quæstio, quæ non aliter, quàm juris civilis scientia dissolvitur, & sincera mente terminatur. Nam quæcumque conjugia personarum simul coeuntium ex propinquitate, sive affinitate septimo inclusa gradu constiterint, ea indissoluta manent, ut ex inculpatis copulata nuptiis. Duo enim consobrini, patruelesve instrumenta dotalia componentes cum matertera, amitave magna, & fratris, sororisve filia, progressis ex alia serie, & progenie, non imponent sibi accusationes criminum. Nam consobrini quartum à se invicem gradum obtinent: amita autem, seu matertera tribus dividitur gradibus à fratris, sororisve filia. Atque ita computatus septimus in his gradus acuta consideratione, subtilique ratione, repræhensionem effugit, propter præceptum: cùm in aliis quidem gradibus, qui septimum præcedunt, disjunctorum generum connexionem temperans, uniat, septimo autem nuptias non impediat. Cognatorum autem à latere nuptiæ septimo gradu comprehensæ, prorsus vetitæ sunt, fugiendæque censentur. Neque enim sobrinus sobrino natæ copulabitur unquam, aut sobrino nata, ad patris sui sobrinum retrocedens, eum ad suas nuptias alliciet unquam. Hæc enim est generis inquinatio, & corruptela, & cognationis probrum, ac mistio incontinens, & d legali opposita dissidio. Neque enim eadem omnino propinquitas personarum per affinitatem conjunctarum: & earum, quæ ex eadem cognatione, & sanguine progenitæ: ut in utrisque septimus gradus permissus sit, aut prohibitus. Cognationum enim à latere radix una, unusque fons, licèt diversæ propagines, & rivuli distincti intervallis. Quæ enim propinquitates per nuptias constitutæ, duorum diversorum generum conjunctionem trahunt, hæ velut ex alio genere in aliud insitæ, & coalescentes, prohibitum continent connubium, non jure cognationis, sed legalibus edictis, & divina voce, in unum copulante ab initio mari fœminam. Non enim, quòd fratris mei

uxor

uxor una caro est cum viro suo, fratre meo, & subtili mente, ac consideratione e sponsa censetur soror mea, etiam hujus omnem cognationem in unam personam obliterans, sorores, & consanguineas reputabo. *f* Ostendit enim lex, quas earum non ducam, & cum quibus sine reprehensione coeam. Non enim cum uxoris meæ sorore, vel ejusdem consobrina, aut amita, materterave majore: sed nec cum fratris, sororisve filia, dotales conscribam tabulas; quoniam sexti gradus, & inferiorum laqueis irretitus sum. At cum sobrinæ, paternæ, maternæve hujus filia, vel cum propatrui, proavunculi, proamitæ, promaterteræ nepte, irreprehensibile statuam conjugium. Nam illa ad octavum gradum remota est: hæc autem excedit sextum, & ad septimum subsistit. Sic patruus, vel avunculus, & fratris, sororisve filius diversæ cognationis consobrinis immisti, justas constituens nuptias. Intervallo namque legitimo distant inter se, ne ex his cognationem ullo modo contaminent. Nemo igitur recta dixerit affinitate conjunctum, & cognominatum abusivè cognatum, proximiorem, aut æqualem esse ei, qui est ex genere, & sanguine: ut eam ob causam iisdem nuptiarum claudatur finibus, quemadmodum superiùs explicatum est. Cùm enim legislator consobrinorum filios connubio jungi vetuit, & sobrinorum filiis congressionem permisit, nihilque de iis, qui sunt in medio statuit, ex vetito, & non vetito mentem suam manifestam fecit, ut limites transgredi non oporteat. Nam si sobrinus filiam sobrini amatoriè aspiciens, legalem terminum non planè observans, lasciviet: (velut equus ad sui generis animal hinnit) non maritus, sed stuprator ex eo judicatur. Sobrini autem paterni, maternive filius, existens extra graduum numerum à legislatore interdictum, si quidem retrocedens septem egrediatur, & relicta trisexadelphia intra prohibitas insiliat nuptias, & cum patris sobrina flagitiosè corrumpatur, insidiosè planè, & *g* latronis more, nec legitimè eam uxorem ducet, & ideo ignominiosè ab hac separabitur, & *h* qui oscula huic exhibuit, velut quædam delecta sponsalitia munera prohibitarum nuptiarum ei largietur. Quænam verò hæc sunt? perpetuum dedecus, & illaudata fama. Itaque propter has sordes, & inquinationem, confusionemque generis, & commistionem cognaticii sanguinis, piissime, in iis, qui septimi sunt gradus ex transverso nuptiæ non connumerantur, neque à bene sentientibus agnoscuntur, è numero legitimorum conjugorum religiosè explosæ. Sic Jurisconsultorum præceptiones volunt:

sic

sic antiquissimi sapientum Judicum ab initio ad hoc usque tempus de his pronuntiarunt, & hujusmodi nuptiis terminum posuerunt. Talia etiam clarorum, magnorumque virorum constituta sunt, & constituentur conjugia, & adhuc constituuntur, irreprensibilem habentia mistionem, & cognationis cruore thorum immaculatum nullo modo inquinantia. Cùm autem beatus inter Patriarchas Dominus Sisinnius inveniret (ut videtur) sua ætate, qui se *i* impudenter sexto gradu affinitatis miscerent, & extra reprehensionem esse fratres duos cum duabus consobrinis alterius cognationis, aut cum amita, materterave majore, & fratris, sororisve filia congredi, nec turpes esse videri nuptias, hoc quidem Novella sanctione vetuit: extra hæc autem, cætera indefinita, nec prohibita reliquit. Cùm enim dixit patruum, vel avunculum, & fratris, sororisve filium non posse duas sorores accipere, aut duos fratres amitam, materteramve, & fratris, sororisve filiam: & (quod Patriarchæ majus videtur delictum) cùm prohibuit duos fratres misceri per nuptias duabus consobrinis: quasi ex his generum oriretur confusio, & nominum conturbatio: & hactenus vetitas circumscripsit cotiones, nihil ampliùs de iis exprimens: videtur apertissimè sexti quidem gradus, & inferioris nuptias vetare, nec concedere locum habere: eorum autem, qui sextum gradum excedunt, licitam existimare copulam; eadem cum antiquis legislatoribus sanciens, & sacra constituens regula: magis etiam, quàm hi contrahens, & constringens ex affinitate nuptias. Quod enim illi usque ad quartum statuerunt gradum, aut propter honestatem prohibuerunt, ita dicentes: Non possum accipere uxoris meæ ex alio filiam, aut neptem, aut proneptem, neque uxorem filii mei, aut nepotis, aut pronepotis mei: sed neque socrum meam, vel novercam meam: Hic circa divina sapiens Patriarcha, neque has, neque alias despiciens prohibitiones, sed & quæ ad sextum usque gradum porriguntur vetans, in hoc solo prohibitorum posuit terminum: quem nemo ex Christiano populo præteriens, sine censura unquam reveretur, sed pudore suffusus, lugebit plurimum. Nempe educatus ille in foro, & judiciis à pueris, qui ætate, & prudentia canus, legalesque versans quotidie libros, tandem in sacro consessu sedens, & divinorum virorum *k* contrahens definitiones, & quod castum, honestumque undique colligens, exactissimum conjugiorum ordinem exponere non dubitavit, & novam de his conscribere decisiouem, quam posteris relinqueret, *l* titulum omnino veracem

& ir-

& irreprehensibilem, largientem hominibus puram generis existentiam, eosque Deo conservantem castissimos consuetudine, & conjunctione nuptiarum culpa carentium. Hæc tibi, sacratissime, pauca ex paucis ad ea, quæ à te scripta sunt, de nuptiis colligentes, & exarantes *m* mittimus in scriptis.

Hoc exemplum Patriarchalium literarum Synodaliter editarum, prolatum ex codicibus repositis in sanctiore secreto, & confirmatum propriæ manus subscriptione, & sigillo Nicetæ sanctissimi Protosincelli, & Chartophylacis sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ, subscriptionibus etiam peritissimorum Diaconorum, Notariorumque Patriarchalium roboratum, datum est mense, & indictione suprascriptis.

a JOANNIS XIPHILINI.

De Sponsalibus.

MEnsis Aprilis die XXVI. feria quarta, indictione quarta, anno VI CIↃ IↃ IXXIV. præsidente Joanne, sanctissimo Domino nostro, & universali Patriarcha, ad dexteram Catechumenorum partem, assidentibus ei sanctissimis Metropolitanis, Cæsariensi, Ephesino, Heracliensi, Ancyrano, Cyziceno, Chalcedonensi, Sebastiensi, Gangræno, Philippensi, Hierapolitano, Cotyaii, Mitylenæo, Chonensi, Nacoliensi: & Archiepiscopis Maroneæ, Proeconensi, Garellæ, Lemni, Bosphori, Gotthiæ, Herculano: quum ad extremum venissent Amasenus, Melitenicus, Claudiopolitanus, Iconiensis, Hydruntinus.

a Vixit sub dicto Constantino, Eudocia, Diogene, Michaele, Augggg. Leuncl. interp.

b l. 12. §. 1. D. de rit. nupt. Inst. de nupt. §. si uxor.

c l. 5. C. de sponsal.

Quamvis evidenter, & expressis verbis in Synodali tomo, promulgato à clarissimo Patriarcha Domino Sisinnio de prohibitis, & incestis nuptiis, nihil de sponsalibus quoque sit comprehensum: tamen quum jus *b* civile patris, atque filii sponsam, filio, vel patri omnino conjungi propterea vetet, quòd illa novercæ locum habeat, hæc nurus, licèt nuptiæ sequutæ non sint: idemque valeat in sponsa filii adoptivi; licèt adoptio soluta sit, ut eam pater adoptivus uxorem accipere nequeat, veluti nurum, & filii sui conjugem; quum obtinuerit denique

in hunc usque diem, ut qui virginem sibi desponderit, eamque vel morte amiserit, vel repudio, vel consensu, pœnarumque legitimarum præstatione, ac deinde duxerit aliam; neque Sacerdos, neque Diaconus, aut Subdiaconus ordinari possit, quasi qui secundas contraxisse nuptias reputetur: visum est nunc quoque mediocritati nostræ, totique sanctissimæ Synodo præsenti, valere in omnibus incestis, prohibirisque nuptiis debere, ut non modò si nuptiæ, sacræque preces intercesserint, ejusmodi contractus prohibeatur, & illicitus appelletur, sed & si sponsalia, secundùm legem peracta sint, nuptiis non impletis, sed morte, vel alio modo solutis, nefas sit alterutri harum personarum, junctæ sibi per cognationem personæ, cujus causa nuptiarum nascitur impedimentum, vel alio quodam modo incestus admittitur, copulari justo, legibusque comprobato matrimonio, neve per sacros canones contractus hic, vel conjugium nuncupetur, aut ullo modo subsistat: quum legitima sponsalia matrimonii locum, & conditionem obtineant. Nam propterea nec absque pœnis hæc dissolvere licet, quum de incestis e regula juris definiat, ubi contractus legibus interdictus sit, non licere pœnam exigere. In iis autem, quæ jure, legibusque valent, quemadmodum in nuptiis, pœnæ persolvuntur: ut lucrum vir consequatur, si quidem per causam mulieris repudium mittatur, sine culpa viri, lucrum mulier auferat. Sic & in sponsalibus, siquidem cùm pœna consistat eorum dissolutio, manifestissimum est eum, qui sponsalia contraxit, & secundùm leges dissolvit, alia deinceps uxore ducta, digamum esse, atque ita nunc, & in posterum nominatum iri, & futurum. Idem verò, & in fœminis omnino locum habebit, quum eadem in utroque sexu, tam in nuptiis, quàm cæteris contractibus obtinere, leges sanciant. Itaque disertè pronunciamus, quæ, & qualescumque personæ per jura civilia, vel sacros Canones, vel indicatum Synodalem tomum, vel aliam de tertiis nuptiis Synodalem pariter, & Imperatoriam sanctionem, à consortio matrimoniali arceantur: easdem & in sponsalibus prohibitionem manifestissimam habere, nec ullum esse nuptiarum, & sponsalium discrimen in hoc, ut licitè, justeque contrahantur.

ALTE-

ALTERA SYNODALIS SENTENTIA

De Sponsalibus.

MEnsis Martii die XIX. Indictione IV. anno VI CIↃ IↃ LXXV. præsidente Joanne sanctissimo Domino nostro, & universali Patriarcha, in minore secreto, adsidentibus ipsi Magistratibus quibusdam ordinis senatorii, præterque hos sanctissimis Metropolitanis, Cæsariensi, Heracliensi, Nicæno, Chalcedonensi, Tyanensi, Neocæsariensi, Amoriensi, Cotyaii, Amastridis, Celesenæ, Coloniensi: & Archiepiscopis, videlicet Archiepiscopo Selybriæ, Rusii, & Gotthiæ.

a filiive l. 12. §. 1. ff. de rit. nupt.
b l. 14. §. nunc videamus ff. eod.
c d. l. 14. §. ult.
d existimasse hunc casum.
e testati sunt.

Eodem die, quum omnes ordinis senatorii proceres abscessissent, & advenisset Metropolitanus Patrensis, & Nicetas Syncellus, de sponsalibus est proposita quæstio: num scilicet in contractibus nuptialibus, ubi cognationis lex impedimentum adfert, sponsalia pro nuptiis habenda sint; ut vel permittatur, quod subsequuturum est, conjugium, vel prohibeatur, tamquam illicitum, & legibus contrarium, & in sacros Canones impingens. Interrogati verò cuncti, qui coram aderant, sanctissimi Pontifices, communi sententia de quæstione controversa responderunt: ejusmodi contractum prohibendum esse, quoties celebratis sponsalibus, nec sequutis nuptiis, cum persona quapiam, vel ob cognationem, vel ob affinitatem manifestam vetita, contractus alius instituitur: partim, quòd nonagesimus octavus Canon sanctæ universalis sextæ Synodi sic ad verbum statuat: QUI ALII DESPONSATAM, viro adhuc superstite, duxerit uxorem, adulterii crimine tenetur: (quippe nisi Patres illi divini sponsalia loco nuptiarum habuissent, sed pro re quadam diversa; quonam modo adulterii crimen impegissent ei, qui cum desponsata cum altero Matrimonium contrahit? Nam haud dubiè cum nupta committitur adulterium, nec citra discrimen eamdem pœnarum rationem, ac modum, tam in adulterio, quàm in scortatione, canones statuunt) partim, quòd & jus civile titulo v. libri XXVIII. Basilicorum, in hanc sententiam loquatur. Patris, *a* fratrisve mei sponsam, uxorem ducere non possum, licet eorum uxores non fuerint. Nam illa novercæ, hæc nurus locum

 habet.

habet. Item, post capita quædam. *b* Quamvis multas pater meus habuit, nullam earum duco, *c* nec matrem sponsæ quondam meæ; quippe mea socrus fuit. Igitur & in hoc perspicuum est, legum conditores habuisse sponsalia pro nuptiis, & illicitum *d* existimasse, quod consequitur, sanxisseque, non posse conjungi, atque hæc de affinitate; nam post enumerata sanguinis impedimenta, subjiciunt: Sunt, & aliæ nuptiæ, quæ non ob jus cognationis, sed propter affinitatem non procedunt, & in hujusmodi impedimentorum enumeratione, prædicta quoque capita collocantur. Ac præsentes unà sanctissimi Pontifices, in hanc canonicam, legalemque sententiam consenserunt, ita se sentire, ac dicere professi; nec diversum quid se, vel cogitatione, vel facto probare, velut una voce pronuntiarunt: quandoquidem & in renuntiationibus ad sacerdotium, ita se tum facere, tum manus imponere dicerent, ut quum quis aliqua sibi desponsata, nec matrimonio copulata, quocumque modo eam deferens, aliud deinde legitimum matrimonium contraxerit; nec sacerdos ordinetur, nec fortè per ignorantiam ordinatus, quidquam fructus inde referat; sed sacerdotio, veluti digamus, excidat. Nam & qui desponsatam alii duxerit, ad sacerdotii gradum adscendere prohibetur. Sic se tum judicare, tum dicere, pariter omnes *e* deposuerunt; & sic ab omnibus faciundum, pronuntiarunt.

a NICOLAI.

De nuptiis patrui, avunculive, & fratris, sororisve filiæ, cum amita, materterave, & fratris, sororisve filia per affinitatem.

MEnse *b* Majo xv. die, 7. Indict. 15. præsidente Nicolao sanctissimo nostro Domino, & œcumenico Patriarcha in Thomaita, assidentibus Senatoriis Magistratibus VII. & civilibus judicibus, Joanne, magno Drungario Viglæ, Georgio Protoproedro Manganæ, Joanne Protoproedro Salomonis, & piissimis *c* Metropolitanis multis, assistentibus etiam dominicis Magistratibus: Deo charissimus Metropolitanus Philippopolis in sacra Synodo *d* proposuit, interroga-

a Cognomen habuit Grammatici, & sub Imperio Alexii Comneni vixit.

b Mensis Maji die xv. feria septima, indictione xv.

c Metropolitanis xxv. & Archiepiscopis VI.

rogationem faciens, an oporteat patruum, vel avunculum, & fratris, sororisve filiam coire cum amita, materterave, & fratris, sororisve filio per affinitatem: quia id discere vellet, & in posterum in sua provincia observare. Et ad illius hujusmodi interrogationem responderunt e omnes, aliquatenus dubium esse contractum. Sed f postquam potens, & sanctus noster Dominus, & Imperator judicasset nobiscum, & cum sacra Synodo, de contractu proedri Bardæ Xeri, & postea interpretatus esset, quæ in hujusmodi judicio apparebant dubitationes, de eo cognovit, & pronuntiavit, huic judicio contradicit nemo, quod hujusmodi contractus nullo modo vetiti appareant. Et hæc quidem alii omnes. Claudiapolitanus autem, & Cariensis, & præter hos, Euchaniensis de hoc in promptu respondere se non posse dixerunt, g licèt lecta essent ipsis, & cognita, quæ venerandi illius erant judicii, & interpretationis ad ipsum factæ, & si qua de hoc contractu Synodalis processit subnotatio. Philippopolitanus à tomo Patriarchæ Domini Sisinnii se impulsum esse dixit ad hanc interrogationem, & in eo adhuc insistere, & interpretationem requirere.

d proposuit quæstionem, interrogans.
e nobiscum omnes.
f sed quoniam.
g donec.

a *De eodem.*

MEnse Junio XIV. Indict. 15. præsidente Nicolao sanctissimo Domino nostro, & œcumenico Patriarcha in Thomaita, assidentibus ei piissimis Metropolitanis XIII, assistentibus etiam dominicis Magistratibus: quæstione proposita à piissimo Philippopolis Metropolitano Basilio, interrogati sunt illi de eo, an oporteat patruum, vel avunculum, & fratris, sororisve filiam, cum amita, vel matertera, & fratris, sororisve filio per affinitatem convenire; qui cum aliis Antistitibus non consenserunt, neque simul cum iis responderunt, secundùm ea, quæ tunc ab his ad prædictam Philippopolitani interrogationem dicta fu t, b & subnotationes traditas: Joannes videlicet Claudiopolitanus, Joseph

a Alius in mſ. titulus, Interrogatio facta ad eos Pontifices, qui ad aliorum sententiam non accesserant in ea causa, quæ superiori notatione exponitur: & eorumdem responsio, *b* subnotationi tradita.
c ab amante Christi majestate ipsius, de quibus habere dubia quædam videbantur.

Ca-

Cariensis, & Joannes Euchaniensis: qualem scopum attingant hujus quæstionis causæ, cùm tamdiù de ea deliberarint, & quid iis de hac videatur; utrum consentiant aliis, an adversentur, & contradicant. Et tres illi unanimiter responderunt, & affirmarunt, nullo modo discrepare à suis comministris, sed idem cum iis per omnia sentire, & esse unanimes, quòd legerint, & jam cognoverint, tam ea, quæ priùs pronuntiata, & subnotata sunt à piissimo, & sancto nostro Imperatore, & à sanctissimo nostro Domino oecumenico Patriarcha, & sacrosancta Synodo, quàm quæ posterius emissa, ac exposita sunt c à Christi studioso ejus Imperio. In quibusdam videbantur habere quædam dubia, nihil ampliùs in ullo contradicentes, quasi non vetiti appareant hi contractus, quemadmodum etiam priùs subnotatum est.

De duabus sobrinis non ducendis.

Vetuit Ecclesia, ne unus, & idem secundas consobrinas uxores ducat. Neque enim tum affinitatis septimus, ut nonnulli existimant, colligitur gradus, sed sextus: propterea quod uno gradu vir esse cum uxore censeatur. Hoc siquidem Patriarcha Nicolao in quæstionem vocatum, ab Ecclesia prohibitum est.

De sponsalibus septennis.

a In secreto scrinii.
b Mensis Julii die xxi. feria iv.
c mediocritate.
d Metropolis suæ cler.

Scito a in Chartophylacii sexto sanctissimi illius Patriarchæ Domini Nicolai subnotationem insinuatam esse, quæ hæc ad verbum complectitur.

Mensis Julii die 4. indictione 15. cùm sanctissimus noster Dominus, & oecumenicus Patriarcha Nicolaus in Thomaita præsideret, ac cum ipso Dei amantissimi Metropolitani ille, & ille considerent, Dei amantissimus Metropolitanus Cyzici Simeon cum nostra c moderatione considens, dixit, quomodo quidam d matricis suæ urbis clericus, nomine Joannes Diabatenus, sponsalia inierat cum quadam Maria Theophili dicta, quæ esset ætate septennis: atque intellecto, propter sponsæ impubertatem, præter jus sponsalia esse inita, tunc ab illa recesserat, ac post annos octo legitimè ipsam in matrimonium

nium assumpserat. Atque hæc cùm dixisset, quid de clerico illo faciendum esset, discere voluit. Audivit igitur à nostra moderatione, confidentiumque fratrum cœtu, non solùm in nuptiali contractu arrhas dari receptum esse, verùm etiam in cæteris contractibus omnibus: atque id quidem non coactè, sed spontè. Quemadmodum igitur in aliis contractibus non dicimus, quod actum est, si arrha datæ non fuerint, esse irritum; ita quoque in contractu nuptiali, tametsi arrha, sive sponsalia non processerint, quod actum fuerit, firmum, atque indivulsum erit. Itaque quamquam, quæ inter clericum, & Mariam, ut dictum est, sponsalia processerunt, subsistere nequeant; habebit tamen indissolubiliter clericus uxorem, ipsi per solam nuptialem consecrationem, ut explicatum est, conjunctam. De donatione tamen propter nuptias, propter quam sponsalia etiam fieri consuevere, inter conjuges, ipsorumve partes non tractabitur: sed perinde, atque si sponsalia non processissent, neque ante nuptias donatio subsecuta esset, firmum esset matrimonium, atque indisruptum.

a NICOLAI Muzalonis.

De sponsalibus duorum consobrinorum, fratrumve patruelium cum duabus sororibus.

CUm *b* venerandus ille, & magnus Drungarius Dominus Stephanus Comnenus, esset matrimonio jungendus Dominæ Eudociæ *c* venerandi illius, & magni domestici Domini Joannis filiæ, & prohiberetur, eò quòd soror ejus Domina Irene desponsa esset illi *d* Augusto Domino Alexio, Protosebasti Domini Joannis Inclyti Sebastocratoris filio, qui erat primus patruelis magni Drungarii: & fieri non poterat, ut duo primi patrueles duabus sororibus conjungerentur: synodicè agitatum est tempore sanctissimi Patriarchæ Dom. Nicolai Muzalonis, an ex eo impediatur magni Drungarii contractus; statutum est autem, non impediri, eò quòd sponsalia perfecti matrimonii, locum non teneant.

a Vixit sub Manuele Comneno.

b Sebastus, hoc enim Palatinæ dignitatis est nomen, ut supra in extremo II. lib.

c Sebasti.

d Sebasto.

a STU-

a STUPAE, & ARSENII,

De nuptiis duorum fratrum cum b *sponsa, & glore.*

a Leo Stypiota vixit sub Calojoanne aug. ponendus ante Muzalonem. Arsenius verò Autorianus, longè post, sub Lascarino, & Palæologino vixit Imperio. b nurii. c nurum.

DEcretum Patriarchæ Stupæ, item & Patriarchæ Arsenii, nequaquam prohibitum judicant, ut duo fratres c sponsam ducant, & viri sororem.

a LUCAE.

Subnotatio Synodalis sub Imperio Domini Manuelis Comneni, Luca Patriarchatum obtinente, Ne fiant nuptiæ septimi gradus cognationis.

a Cognomen huic Chrysoberges, qui sub Manuele Comneno vixit.
b Mensis Aprilis die x i. feria secunda.
c removensque.
d Dicito.
e legem Divinam circumscribentes.
f versantes.
g sed etiam, ut pro ortum in rerum naturam producendi.
h mediocritati.
i siquidem ii, qui coeunt.
k Intellectus sis.
l mediocritas.
m existit. n cognatum sanguinem.

MEnse b Aprili 11. Indictione 14. præsidente Luca sanctissimo, & œcumenico Patriarcha in dextris Alexiacis Catechumeniis assidentibus ipsius sanctitati sacratissimis Antistitibus Cæsariensi, Heracliensi, Cyziceno, Nicomediensi, Nicæno, Meliterico, Gangrensi, Myrensi, Cariensi, Iconiensi, Corynthio, Atheniensi, Mocisso, Cretensi, Larisseno, Mitylenæo, Smyrnæo, Neopatrensi, Amastridis, Dristræ, Corcyrensi, Paronaxio, Milesio, Arcadiopolitano, Pariensi, Selybriensi, Præconesio, Brysensi, Nicensi, Anchialino: adstantibus & dominicis magistratibus. Eleganter sapientissimus Salomon in Proverbiis dixit, sapientiam in lingua ferre legem, & misericordiam. Benigna enim ejus lex, & misericordiæ commista est, suggerens quicquid conductorum est, & hominum salutis curam habens, c secernensque procul ea, quæ officiunt, & iniquitatem prohibens, scelusque coercens, & congregans omnes ad Deum,

um, ac ut æqui, & boni subjiciantur institutis, præcipiens. Sapientia igitur divina, etiam hodie benignè agens circa eos, qui divina non transgrediuntur instituta, & in eos suam effundens misericordiam, legi autem divinæ subjiciens iniquè agentes: cum Davide per nos synodicè canit carmen, *d* Dixi iniquè agentibus: Ne iniquè agatis; & peccatoribus: Ne erigatis cornu, *e* adversùs divinam legem præscriptionem utentes. Ut autem orationis propositionem perspicuam exhibeamus, age, eam elucidemus. Sacratissimus Metropolitanus Athenarum Nicolaus Hagiotheodoritus, sui gregis curam habens, & sollicitè cogitabundeque se gerens, non solùm, ut superstites adhuc infelici Attica regione, & Athenis *f* educatos, mundos sistat Deo, sed & *g* ut posteri per generationem esse incipiant, legitimas habeant generationis primitias, & justas primas nuptiarum conventiones; ut non solùm in vitæ commercio, prout per humanam fragilitatem licet, inculpati sint, sed & in nuptialibus contractibus, id consequantur, ne divinam legem, & Deum offendant, requirens prohiberi nuptias septimi gradus cognationis illegitimè contractas: Synodaliter retulit nostræ *h* modestiæ, quosdam ea, quæ à beatæ memoriæ sanctissimo Patriarcha illo Domino Alexio, synodice constituta sunt de contrahentibus matrimonium in septimo cognationis gradu, data opera depravare, dum non ad eorum sententiam respiciunt, sed verbis oscitanter inhærent. Nam illo quidem synodicè nuptias septimi gradus prohibente, si earum petita fuerit venia: sin minùs, eas indivulsas manere permittente, sed eos, qui contraxerunt, pœnis subjiciente, idque omnino sic fieri definiente, *i* etsi qui coeunt, ignorantes quoto gradu à se invicem distent, tales nuptias contraxerint, (quonam enim modo, si non ita hoc illi sanctissimo Patriarcha *k* excogitatum sit, de una, eademque re, velut contraria quædam definita sint? quonam autem modo, quod cum dolo clam factum est, indivulsum manere constituit, qui non permittit fieri, si ejus venia petatur?) quosdam igitur illud videntes, quemadmodum nostræ mediocritati relatum est, seque septimi gradus esse scientes, & si hujusmodi contractus sub interrogationem cadat, nullo modo permissum iri: de industria malignè agere, timori Dei, & canonicæ constitutioni propriarum libidinum expletionem præferentes, quòd, vel florente pulchritudine victi, aut fluentibus divitiis adducti, aut generis sublimitate pertracti fuerint. Nostra igitur *l* moderatio, partim pro divina lege pro-

 pugnans,

pugnans, partim hujusmodi facinorum paternam curam habens: (iis enim divinitus imminet, ut inobedientiæ filiis, intolerabilis ira, ut ante horam aliquando, & ambo talia committentes mortis gladio excindantur, aut per mortem omnino alter ab altero separetur, quòd tales nuptiæ, non sint nuptiæ, sed nuptiarum dissolutio: & talis conjunctio, separatio potiùs, & exitium; & talis conversatio, eversio potiùs, & interitus. Pulchritudinis etiam fruitio, hujus vitæ dissolutio; generis exaltatio, destructio potiùs, & in infernum ducens via; & divitiarum facietas, eorum potiùs, quæ cernuntur, privatio m constitit,) propter hæc igitur moderatio nostra, cum sacrosancta fraternitate, factam à sanctissimo Patriarcha Domino Alexio Synodalem dispensationem in nuptiis septimi gradus cognationis nominatim non prohibitis lege civili, neque manifestè permissis, corroborans, & firmans, ac veluti interpretans, & declarans, simul etiam multorum fraudem, & versutiam resecans, & quasi ab radice extirpans, ne ullæ ampliùs iniquitatis exoriantur propagines, & reprehensionem merentibus liberis respublica impleatur. filiorumque à Divinis legibus alienorum crescat numerus: nuptias septimi gradus non solùm postulatas procedere vetat, sed & ante postulationem contractas distrahi jubet: ab hodierno die decernens, vel hujusmodi nuptiæ omnino fieri dessinant: quæ autem jam factæ sunt, manere debeant indivulsæ. Qui igitur tales nuptias ab hoc tempore contrahere ausi fuerint, non tantùm sua frustrabuntur spe, sed & cum hujusmodi contractus dissolutione, excommunicationi subjicientur, velut a cognationis sanguinem confundentes, & præsentis synodicæ definitionis contemptores. Ii etiam, qui eum contractum ineuntibus consensum præstiterint, severitatem canonicam experientur; & qui sacram benedictionem facere ausi fuerint, depositioni subjicientur.

Hæc ex synodicis chartulis prolata, sigillo & subscriptione in primis venerandi Archidiaconi. & Chartophylacis sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ pro more confirmata, data sunt mense & indictione suprascriptis, anni 6674. Cartophylax sanctissimæ Magnæ Ecclesiæ, & Archidiaconus Joannes Hagiosorita, subscripsit.

M i-

a MICHAELIS ANCHIALI.

De nuptiis cum cognata priùs desponsata.

MAlè permissum fuit Domino Michaeli Pleuræ, matrimonio conjungi cum Domina Anna Spanopolina, quæ *b* patruelis erat Mariæ Serbili filiæ, antea illi desponsæ. Nam tametsi lege mortis ante nuptias ab ea sponsa separatus est, neque cum illa se commiscuit: attamen ipsius *c* patruelem uxorem ducere non debuit. Neque enim conjunctio, sed precationum cæremoniæ, ut sponsalia tanquam nuptiæ reputentur, faciunt. Si igitur laicus tale quidpiam facere prohibetur, profectò *d* consecratus multò magis. Talib. namque temporibus sanctissimi illius Patriarchæ Domini Michaelis Anchiali, per Synodalem commentarium vetitum est legitimè conjungi cum ea muliere, quæ cognata ejus fuerat, quæ obligatoriis scriptis dumtaxat illi obstricta fuisset, neque sponsaliorum praeces cum ipso excepisset: quod aut mortua, aut pœnitudine ducta, alteri viro conjuncta esset: extra quam si eam necdum sexennem mors, arrhabonis instar, abstulerit. Visum est enim concilio, in sexennem mulierem *e* copulæ concupiscentiam non cadere. Verùm hoc in laicis non obtinebit. Nam qui altari deserviunt, soli unius uxoris, ejusdemque virginis viri nominari, ipsique ejusdem status esse debent.

a Hic successor Lucæ fuit.
b consobrina.
c consobrinam.
d sacerdos.
e coitus.

De nuptiis duorum fratrum cum filia fratris, sororisve uxoris Joannis, & filia ejus, ex alia a suscepta.

PAtriarchæ Michaelis Decretum Joannis *b* fortè filiam, & filiam fratris, sororisve uxoris ejus, duobus fratribus jungi permittit; utpotè quam Joannes ex altera uxore susceperit.

a ex alia, puta Theodora, suscepta.
b (verbi causa.)

a THEODOSII.

De nuptiis cum priùs desponsata sobrino.

a Tertius hic à Michaele Anchialino Patriarchatu potitus est.
b sobrinis.
c affinitatis.

SCito, tempore sanctissimi, & universalis Patriarchæ Domini Theodosii, xxx. Julii mensis, xis. indictionis, factam esse subnotationem synodalem, quæ ad verbum sic habet;

Sanctissimus Metropolitanus Apro, frater, & comminister nostræ mediocritatis, Romanus Artabasdus, allato synodaliter scripto, quod hæc his verbis continebat: Puella quædam, quæ Irene dicitur, sponsalia contraxit cum quodam Joanne, nata decem annos. Cùm autem dicta essent illicita illius sponsalia, facta est judiciaria declaratio, permittens, eos utique separari, qui sponsalia contraxissent: quòd essent, ut dictum est, sponsalia contra leges facta. Vult ergo Irene hodie legitimè conjungi Theodoro, qui est Joannis *b* secundus patruelis, & interrogat, an habeat aliquod impedimentum: Rogavit nostram mediocritatem, & sacram fraternitatem, ut ab ea disceret, an nullum habeat impedimentum contractus, de quo scriptura facta est. Ab ea ergo audivit, etiam præsente fratrum congregatione, ejusmodi contractum nullo modo esse prohibitum. Quia enim, quæ cum Joanne contracta sunt sponsalia, ut quæ propter Irenes ætatem consistere non possent, soluta sunt; rectè Irene secundo ejus patrueli lege matrimonii conjungetur. Neque enim Irenem cognatam personam reputat Theodorus, nec *c* cognationis vinculis, ac finibus constringitur.

De sponsalibus non sufficientibus pro perfecto matrimonio.

a non hoc pro tertiis haberi nuptiis.

SAnctissimus Patriarcha Dom. Theodosius, concessit Mesopotamitano Domino Michaeli, cui Maria quædam fortè desponsa fuerat, & quòd ea ante matrimonium, aliam acceperat, ut alii sine præjudicio post mortem ejus conjungeretur, maximè cùm & liberos haberet, & xxx. annum excessisset: dicens, non *a* reputari trigamiam, utpote cùm sponsalia pro perfecto matrimonio non sufficerent.

a THEO-

a THEODOTI.

De divortio ab infideli conjuge.

TEmpore sanctissimi Patriarchæ Domini Theodoti, separatus est à sua infideli uxore *b* Basilius Buccinator, postquam baptizatus fuerat, decreto Patriarchali: utpote quæ à viri suasione induci non posset, ut baptizaretur.

a Successor fuit Nicolai Muzalonis, sub imperio Manuelis Comneni: itaque suo loco supra poni debet.

b Buccinator Imperatorius.

a ALEXII.

De sobrinis duobus, quorum unus matrimonium contraxit cum filia cujusdam adhuc impubere, hoc est, annos VS. nata: alter verò copulatus est illius matri, post ejus obitum, quòd priores nuptiæ pro nullis haberentur, ob ætatem puellæ prorsus imperfectam.

QUæstiones nuptiales, quum de re sacra fiant, & quæ generis perpetuitatem vitæ largitur, singulari cum cura tractari debent: ut nec iis, quæ bona sunt, officiat incuria; nec contractum honestissimum mala sordident. Argumentum quidem certè decretum est agere considerationem quandam non illepidam, nec ingratam continet; sed magna cum voluptate in eruditorum animos penetrantem: quod narrandum primo venit, ut quod dicturi sumus, liquido perspici possit. Symeon cognomento Semidalis, pertractum ad tribunal Euphemium de nuptiis illicitis accusatum, inscripsit. Facti narratio hæc est. Euphemius, inquit, & Georgius, ex consobrinis procreati, pro sobrinis habentur. Horum alter, Georgius, quandam nomine Theodotem precibus sacris adhibitis duxit, non modò non maturis nuptiis, sed ne sponsalibus quidem. Quumque puella superstes annum IS fuisset, moritur. Hinc Euphemius Mariam puellæ matrem, nuptiis sibi jungit. Et hæc quidem actore sunt exposita. Reus autem se purgabat. Theodotem narrans annorum VS fuisse, quum

a De hujus ætate dictum libr. præcedente.

b Hic prox. præcedentibus etiam decretis subscripsit.

c contestata.

quum sacræ preces adhiberentur, mense Martio, indictione III. Sed eam mense Julio indictionis quartæ esse mortuam, ideoque se in matrimonium cum ejus matre coivisse. Quandoquidem ergo disceptationibus hujusmodi lex est adhibenda, atque ita ferenda sententia: pronuntiavimus, oportere priùs constare de dictis testium, quotum annum puella tempore conceptarum precum egerit; & an sponsalia priùs contracta sint, deinde nuptiæ: an statim ab initio matrimonium, nullis sponsalibus præmissis. Producti sunt igitur à reo testes. Licèt enim actores probationum onere gravari par sit, tamen eo respectu, ne quid scilicet admissum illicitæ rei foret, neve sexua adfectus injuria, reo cognationum fateoti probationum onus est impositum. Ex testibus, qui coram tribunali comparuere, Gelasius cognomento Thraces, & Procopius cognomento Straboprocopius, seorsum interrogati, consentiens, & ad unum scopum tendens testimonium perhibuere. Nimirum puellam natam fuisse circa mensem Augustum, indictionis XII. quumque superasset annum quintum, & sextum jam ageret, Georgio nuptum datam, circa mensem Martium, indictionis tertiæ; vitamque cum morte commutasse mense Julio, indictionis quartæ. Theoctistus autem, & Nicetas, Joannis Protospatarii filius, & Theodorus Dœmonius, unà cum Joanne cognomento Clasmata, cætera quidem his consimilia testati sunt: verùm indictionis quartæ mensem, quo rebus humanis excesſit Theodote, nescire se dixerunt. Sic & hi duobus illis alteris consentanea perhibuerunt. Quamvis enim diversitas quædam extitit in duorum, & in posteriorum quatuor dictis; non tamen hoc eo factum est, quòd contrarietas inesset testimonio, sed quòd inhærens eorum oratio veritati, nihil eorum, quæ dicta sunt, omittere vellet. Nam quod remipsam, qua de agitur, adtinet; per omnia testes inter se consentiunt. Quippe contractus principium quærimus, non solutionem, quod sanè negotio nihil addit. Nam, quod non ceptum est rectè, nec solutum dicitur: sed à principio vinculum nullum habuisse. Cæterùm testes actor idoneos, & exceptione majores, ipsam quidem indictionem, qua nuptiæ contractæ sint, & puella diem obierit, verè commemorasse dixit: sed quòd nativitatis tempus adtineret, errasse. Nam putare se, puellam tempore contractarum nuptiarum annos sex, totidemque menses fuisse natam. Verùm isthæc objectio nihil adjumenti ferebat rationibus ejus, qui & impuberem ætatem fateretur, nec ab se dictis firmiter insisteret: sed cum conjectura, & dubitatione isthuc adver-

adversario objiceret. Et qui primus accusationem instituisse ferebatur Malacenus, in judicium deductus, apertè dixit; in contractu se nihil absurdi scire, nec sibi liquidò constare quidquam, vel de tempore nativitatis puellæ, vel conceptarum precum, vel obitus. Quum igitur examen hucusque processisset, ac testes nuptiarum, & sponsalium tempus non distinxissent, sed precum quidem sacrarum conceptionem perfici vidisse se dicerent, ignorare verò, num eodem die sponsalia præcessissent: nihil erat, quòd sententiæ ferendæ impedimentum objiceret. Quippe si puella jam septimum excesserat annum, quum preces sacræ conciperentur: par erat, nuptiis intra duodecimum annum peractis, inquiri; num ante id tempus legitima sponsalia contracta fuissent, post annum septimum: ut si nuptiæ non constarent, saltem planum fieret, an sponsalia vim legitimam habuissent. Quum autem sacræ benedictionis, velut in scena peractæ, tempus etiam actor ipse fassus sit, minimè sponsalibus esse idoneum: omnis est sublata dubitatio, quando rem manifesto illicitam nemo non perspicit. Quippe quum leges sanciant, sponsalibus annum aptum esse septimum, nuptiis autem mulierum, duodecimum: si quidem ex sententia legum contractus fiat, nulla facto labes inuritur. Sin præcipitatio quædam comitata fuerit, lex in hanc sententiam loquitur: Qui puellam minorem annis duodecim in uxorem ducit, siquidem sponsalia præcesserunt, custoditur; licèt uxoris loco domum ejus deducta sit. Sin sponsalia nulla præcesserunt, nec eum habuit ab initio animum; non propterea jam uxor esse facta videtur. Hæc quum verba legis sint, satis intelligitur, quæ inter Georgium, & Theodoren intervenerint, neque nuptiarum, neque sponsalium contractum fuisse: quippe qui neque nuptiarum legem servarit, & legem sponsalium violarit. Solet enim lex imitari naturam; & quod agnoscit natura, lex etiam admittit: quod autem ignotum est naturæ, missum facit. Si ergo quæ adhuc pubescit, necdum partui est idonea; nuptiæ verò procreationis causa fiunt: sequitur, eum, qui cum nondum nata duodecim annos coit, stupratorem esse, non maritum. Ideoque nuptiæ cum ea, quæ minor est annis duodecim, prohibitæ sunt. Et qui benedicit eis sacerdos, se culpæ reddit obnoxium. Eadem & de sponsalibus ratiocinamur. Nimirum eam, quæ minor sit annis septem, judicio pleno destitui. Qui verò judicio caret, is nec ex usu rationis consentire potest. At absque consensu, pacta constare nequeunt; quum hæc legis verba sint. Pactum est duorum

rum in idem placitum consensus. Unde patet, juris conditores rationum naturæ vestigia sequentes, de nuptiis statuta promulgasse. Quandoquidem ergo contractum hunc Theodotæ, ac Georgii, neque leges agnoscunt, neque natura: citra impedimentum ullum Georgii sobrinus Euphemius Theodotæ matrem conjugio sibi junxit. Quod enim pro nullo ducitur, quonam modo possit esse obstaculo ei, quod rectè sit, ac legitimè? Minimè quidem. Hæc nobiscum examinavit in urbe imperatrice, ac unà pronuntiavit etiam *b* Michael, religiosissimus ille Metropolitanus Atheniensis. Hic enim, lite coram se *c* inchoata, & nuptias ipsas probavit, & ad sanctissimum Patriarcham scriptum æquissimum, & acuratissimum Athenis hoc nomine misit, atque subscripsit.

FIGURA PRÆMISSORUM.

Sobrini Euphemius, Georgius.	Maria, mater I Theodote, filia.

Georgius Euphemii sobrinus Theodoten accepit, adhuc impuberem. Ea paulò post mortua, duxit Euphemius Mariam, Theodotæ matrem. Atque hoc matrimonium vitio carere judicatur, & esse legitimum.

MICHAELIS.

Epistola Patriarchæ Domini Michaelis Cerularii, de matrimonio prohibito.

Audivit mediocritas nostra, vir clarissime, à Leone Ctemnita, matrimonium esse contractum, quod cum impudente flagitio conjunctam est. Sunt fratres, inquit, Leo, & Nicephorus. Horum alter, Leo, Calen procreat: Nicephorus, Georgium. Hinc Cale in matrimonii societatem cum Michaele coit, & consobrinus ejus Georgius Irenam ducit, Michaelis sororem. Ita quidem, ut duo consobrini cum duobus fratribus diversi generis, nuptias contraxerint: quod haud dubiè, nec legibus civilibus, nec canonibus sacris admittitur. Nam, ut lex inquit, attentura societate conjugii, fratres, consobrini, & qui ex

ex his procreantur tantùm. In iis autem, qui sunt ex transverso, prohibitio quædam est. Hæc ergo vox, Quædam, particularem prohibitionem inferens, non in infinitum se porrigit; sed in eodem genere, septimi quoque gradus nuptiæ prohibentur. Non enim potest sobrinus sobrini sui filiam ducere, licèt ex sobrinis procreatorum nuptiæ non sint prohibitæ. Qui autem ex transverso sunt, iis etiam septimus gradus permittitur. At in delato ad nos matrimonio, gradus sextus invenitur. Nam Cale, ac Georgius, quum sobrini sint, in quarto erga se invicem gradu consistunt. At Michael ab Irena gradu altero abest, uti cujus ipse frater sit. Atque hoc modo, quum gradus sextus colligatur, Irenæ matrimonium prohibetur. Quod quidem, tu, vir doctissime, vel non contractum prohibe, vel jam contractum dissolve: quum ex relatione Leonis intelligas, id intra sextum gradum claudi. Nec est, quod vereare. Nam plures habeo tibi patrocinantes in hoc facto, tam leges civiles, quàm sacros canones, ipsumque adeo novellum tomum perpetuò celebrandi, & religiosè defuncti Domini Sisinii Patriarchæ.

FIGURA.

Fratres.		Fratres.	
Leo.	Nicephorus.	*a* Michael.	*b* Irena.
|	|		
a Cale.	*b* Georgius.		

Ex epistola Michaelis, sanctissimi, & universalis Patriarchæ.

SAcerdos, qui novit, uxorem suam adulterio pollutam; si eam expulerit, à munere suo non arcetur: sin receperit, Sacerdotium amittit. Dotis autem, quam per adulterium cognita sacerdotis uxor marito attulit, duo trientes pro nato utrisque filio retinebuntur, reliquus ipsi concedetur, ei tribuendus monasterio, in quo tondebitur.

Ejusdem.

QUidam sacerdos quosdam præter parentum sententiam in matrimonium coeuntes precibus sacris initiavit. Inde di-

vulsis à se invicem, & alia conjugia contrahentibus, sacerdos alius bene precatus est. Siquidem ignoravit, parentes non consentire; certum quoddam ad tempus à ministerio sacro abstinere jubebitur, & jejuniis, ac orationibus semet adfliget. Ipsius pœnæ tempus ad dies XL. vel alios totidem sese porriget. Sin norat, sacerdotio excidet. Quòd si provectioris erant ætatis liberi, & quia dilationem parentes interponebant, idcircò eis invitis contrahere matrimonium coacti fuere: quandoquidem id leges etiam probant, & is, qui preces sacras concepit, culpa caret; & secundus quoque, cui de priore matrimonio non constabat, excusatur. Sin constabat, pœnis mitioribus subjicietur, quòd obnoxios crimini scortationis, tamquam puros, coronarit. Quòd si de parentum sententia primæ contractæ sunt nuptiæ, deinde nec opinato divortium intercessit: sacerdos primus culpa caret, alter sacerdotium amittit: sive parentes adfuerint, sive non.

Ex Epistola ejusdem Patriarchæ Michaelis.

IN iis, qui eodem orti sunt genere, septimi quoque gradus nuptiæ prohibentur. Nequit enim sobrinus sobrini filiam uxorem ducere, licèt prognatorum ex sobrinis matrimonium minimè sit vetitum. At iis, qui ex transverso sunt affines, etiam gradus septimus permittitur. Itaque si consobrini copulati fuerint cum sororibus ortis alio genere, matrimonium posterius est illicitum; ac siquidem contractum sit, divellatur: necdum verò contractum, prohibeatur. Nam gradu quarto juncti sibi sunt consobrini, secundo fratres. Adeoque sexto constituti gradu depræhenduntur, quod quidem civili quoque jure vetatur.

JOANNIS XIPHILINI.

Exemplum decreti sanctissimi, & universalis Patriarchæ Domini Joannis ad quemadmodum Metropolitanum, de nuptiis prohibitis, literis mandati à Niceta Diacono, & Chartulario.

QUod ad illicitas, vel prohibitas nuptias attinet esse personas quasdam disertè piis, & imperatoriis legibus expressas, quæ in contrahendis matrimoniis ad nuptiarum coitionem tendere prohibeantur, propterea quòd nefas admittant; item-

itemque nonnullas esse, quæ nulla prohibitione coerceantur, sed in contrahendis nuptiis liberum habeant arbitrium, quòd res minimè vetita sit: equidem te, vir religiosissime, non ignorare arbitror. In quibus autem casibus nihil disertè legibus, & canonibus sacris expressum est, de iis consilium synodicum ob interrogationes continuas tempore felicis recordationis Patriarchæ Domini Alexii, præscriptum est, quod sancit, quid in talibus locum habere debeat; videlicet ubi septimus cognationis gradus est: & significat, si de tali matrimonio consulatur ante rem spontè peractam, & impletam, prohiberi: sin tacitè, quasi per ignorationem absolutum fuerit, indiremptum quidem manere; sed copulatas personas pœnis obnoxias esse, prout Episcopo loci visum fuerit. Quoniam ergo nos etiam consulti sumus à quodam tui territorii, narrante, Georgium, & Mariam, qui fratres essent, illum quidem Irenam, hanc verò Basilium procreasse, ex quo Maria nata sit; hinc Irenam Epiphanio junctam, velle germanum Epiphanii fratrem, Mariam uxorem ducere: per scripturam pronuntiavimus, non ei fas esse copulari Mariæ, propter jam contractas Epiphanii cum Irena, ejus amita, nuptias. Atque ita tunc impedita fuit hujusmodi dictarum personarum conjunctio. Verùm utraque pars id operam dans, ut contractus reipsa succederet; præpotenti, ac sancto Imperatori nostro preces obtulit, quibus petebat, ut doctissimus Nomophylax de re cognosceret, atque pronuntiaret. Sed adversarius ejus vicissim sacratissimæ Majestati porrectis precibus, rescriptum sacrum impetravit, in hanc sententiam. Quod judicatum est à maximè venerabili Chartulario, quum magis tendat ad prohibitionem matrimonii: sic manebit, uti judicatum est. Igitur accepto hujusmodi rescripto, significamus tibi, quod etiam priùs in tali causa consulti significavimus: non esse fas, ut Michael Mariam sibi conjugio copulet, propter Epiphanii contractas jam cum Irena nuptias, quum nomina cognationis confundantur: idque, vel in primis, secundum gubernati divinitus, ac magni patris Basilii dictum, & sanctionem. Quippe fratrum uxores, quæ amitæ sunt, & filia fratris, pariter quoque fratrias appellari contingit; adeoque contractum prohibitum, infectum manere, nec pœnam ex transgressione oportet exigi. Sic enim & quum initio consulti fuissemus, respondimus: quæstione tunc ob ejusmodi causam instituta, id quod subjecta delineationi causæ responsio nostra, per scriptutam facta,

a Rescriptum Imper.

cta, declarat. Quòd si fortè dotem viri pars jam ante acceperit, aut donationis propter nuptias promissio, vel præstatio mulieris facta sit: non propterea contractus servabitur; quandoquidem dotes non faciunt nuptias, quæ absque dotibus etiam con iare possunt, quum legitimè contrahuntur. Quæ verò nefariis in nuptiis, aut prohibitis, promittuntur, aut dantur, neque dotes sunt, neque donationes ante nuptias: & restituenda sunt, quæ data fuerint, quo data sunt modo, nullo ex usuris incremento accedente.

FIGURA.

Fratres.		Fratres.
Georgius, Maria.		Epiphanius, Michael.
	Consobrini.	
Irena.		Basilius.
	1	
	Maria.	

Interdictum est Mariæ, ne Michaeli nubat.

a EUSTRATII.

De duobus sobrinis, qui matrem, & filiam duxerant; deque dirempto posteriore matrimonio, tamquam illicitè contracto.

a Hic cognomento dictus est Garidas, vixit imperante Alexio Comneno.
b scilicet ratiocinii, vel.

PRæsidente sanctissimo Patriarcha Eustratio, in minore secretario, adsidentibus ei, Petro illustrissimo Protospathario, & Præside; ac religiosissimis Metropolitanis, Neocæsareæ, Severinæ, Chonarum, & Archiepiscopo Zechiæ, civilibusque Magistratibus, Potho protospathario, & magno œconomo, Theodosio protospathario, & œconomo religiosorum, Joanne protospathario, & Chartulario, præfecto *b* Generalis, & libellorum supplicum magistro, Basilio Spatharocandidato, & Coadjutore Romano à secretis, ac scriba, Leone à secretis, & Logotheta Prætoris, introducti sunt Malaeenus, Bardas, Theodorus, Helladici, protospatharii, ferentes secum literas Metropolitani Athenarum, & Metropolitani Thebarum, & Episcopi Euripi. Quibus audiente sacra synodo

nodo, & adsidentibus ei civilibus judicibus, perlectis; quoniam in eis de illicito matrimonio continebatur, contracto per Euthymium Capulen, & Mariam Bardæ Protospatharii, militumque Tribuni filiam, quo sanè duo sobrini, matrem, atque filiam in matrimonii societatem accepissent: sancitum est, ut & hæ nuptiæ, tamquam nefariæ, pro nullis habeantur; & divortio solvantur. Non tamen hoc in utraque parte locum habeat, sed Euthymio, & Maria, velut qui postremi, adeoque prioribus illis nuptiis peractis, in matrimonium coiverint. A' pœnis tamen immunes hæ personæ serventur, quandoquidem de synodali sententia divortium hoc fiat. Simul Maria tonsa, quoniam in Monasterio ejus loci tradatur.

DECRETUM JUDICUM CIVILIUM

De cognatione, quum duas quidam sobrinas in societatem matrimonii adscivisset. Et hoc quidem ab eis permissum fuit, verùm à Synodo prohibitum.

EX parte sua illustriss. Dominus Alexius Capandrites habuit primò legitimam uxorem, filiam Domini Theophanis illius Provatæ. Post ejus verò mortem, sese commiscuit, interveniente legitima precum conceptione, cum ejus sobrina. Scire cupit ex nobis, an dictum matrimonium ex jure ratum sit, ac firmum. Itaque nos ei respondimus, quòd lex in libro Basilicorum XXVIII. tit. V. cap. II. dicat: Nuptiæ prohibitæ sic cognoscuntur. In adscendentibus, & descendentibus in infinitum nuptiæ sunt prohibitæ, licèt ipsæ personæ non sint ex legitimis nuptiis ortæ. Quippe non potest aliquis suam ducere filiam, vel neptem, vel matrem, vel aviam: sive naturales sint filiæ, sive adoptivæ. Itidem inter personas ex transverso prohibitio quædam est. Nam fratris mei, vel sororis meæ filiam, non fas est mihi ducere uxorem. Nec etiam horum neptem. Similiter nec filiam patrui, vel avunculi, aut amitæ, vel materteræ, hoc est, consobrinam meam. Nec item filius meus eorum neptem, qui sobrini vocantur. Item lib. XI. tit. XXXVII. cap. LIII. hæc verba leguntur. Qui junguntur matrimonio, vel alio, qui carnaliter copulantur consobrini, & qui ex eis dumtaxat nascuntur liberi, vel pater, & filius cum matre, ac filia, vel duo fratres cum duabus sororibus, vel duo fratres cum matre, ac filia, vel fratris, sororisve filius cum muliere patruo, avunculo

avunculove nupta, vel patruus, avunculusve cum muliere nupta sui fratris, sororisve filio, præter divortium verberibus quoque cæduntor. Præterea in parte scripti, quod est sanctiss. Patriarchæ Sisinnii, hæ sunt prohibitæ nuptiæ, videlicet quum fratres consobrinas extraneas ducunt, vel duobus, fratribus consobrinæ duæ nubunt; vel eùm patruus, & fratris ejus filius ducunt sorores duas, aut duobus fratribus amita, fratrisque filia nubunt. Quin etiam ex synodalibus actis, & cognitionibus sanctiss. Patriarchæ Domini Lucæ, atque Imperatoris edictis, in iis, qui sunt ex transverso, gradus septimus est prohibitus: in affinitate junctis, aliquando sextus permittitur, aliquando prohibitus est. Quippe quum ex una parte sunt duo gradus, ex altera quatuor; veluti quum duo fratres matrimonio copulari volunt cum duabus consobrinis: prohibitæ nuptiæ sunt. Si verò patruus, avunculusve, ac fratris, sororisve filius, copulari velint cum amita, materterave, ac fratris, sororisve filia, diverso genere natis, matrimonium licitum est. Enim verò quum propositum ab eo interrogatum, & quæstio non numeretur, nec referatur inter prohibitas nuptias, quæ supra recensentur, sed spectet ad gradum ex affinitate septimum: (nam sobrinæ sexto sibi gradu junguntur, & quæ copulatur his, persona, gradum alium constituit, & ad septimum ex affinitate gradum removetur) decernimus, atque dicimus, hujusmodi matrimonium non esse vetitum, quando gradus ex affinitate septimus, indistinctus est, ac omninò non prohibetur. Hæc ad supra commemoratum.

Subscriptiones.

Judex Veli, Gabriel Splenarius, decretis adsentiens subscripsi.
Judex Veli, Joannes Apotyras, decretis adsentiens subscripsi.
Judex Veli, Nicetas, primus, ac supremus ille *a* Nobilissimus, Hispanopolus, eadem sentiens subscripsi.

a dignitatis Palatinæ nomen.

Item à tergo.

Joannes Judex Veli, & Circi Præfectus, Dishypatus, adsentiens & ipse Decretis intus expositis, subscripsi.

BRE-

BREVIS PATRIARCHALIS

De quodam, qui matris suæ sobrinam uxorem duxerat, deque pœnis illi irrogandis Joannes Chartularius, Jonopuli filius exposuit.

LAmpudius hic, ortus è vicinia tua Chrysopolitana, vir religiosissime, nobis exposuit, se matrimoniali contractu junctum esse cum Anna, Theodotæ matris suæ sobrina, interveniente jam dudum sacrarum precum benedictione: ac interrogavit, concessumne sit tale matrimonium, nec ne. Responsum tulit, eum, qui lege matrimonii cum sobrina matris suæ copuletur, non dirimi quidem ab uxore sua, si reapse tales nuptiæ jam contractæ sint: pœnis tamen subjicit tam ipsum, quàm mulierem ei copulatam. Propterea literas hasce scribentes, sanctitatem tuam monemus, ut perscruteris, an ita se gradus cognationis habeat, ut ipse narrat, & an peractæ sint nuptiæ. Quòd si veritatem haud dubiè sic se habere deprehenderis, matrimonium quidem in statu suo relinques; at pœnæ subjicies tum ipsum, tum mulierem ei copulatam, nimirum, ut à carnis esu toto biennio semet abstineant, & quarta, quintaque feriis ne vinum quidem bibant. Communionis tamen participes sint, ii dumtaxat diebus, qui domino sunt sacri. Scias enim, ejusmodi nuptias priùs quidem, quàm contrahantur, non permittit; post verò, quàm contractæ sint, non dirimi quidem illas, sed pœnis tamen subjici. Attestaberis autem universo tibi subdito populo, ut quum matrimoninm contrahendum erit, quod omnino nonnihil ambiguitatis habet, nequaquam absque jussu tuo quid faciant, sed ad pietatem tuam de negotio referant. Atque hoc modo vel tu quæstionem solves, vel si dubius hæres, ad nos referes; atque hinc rescriptum accipies. Sciendum verò, quòd quum ii, qui septimo sese gradu affinitatis ratione contingunt, matrimonio copulantur eædem pœnæ in illis quoque locum sint habituræ, quæ hoc decreto sunt expositæ, sed ad unum dumtaxat annum.

THEO-

THEODORI BALSAMONIS

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

RESPONSUM.

De disceptata in Synodo quæstione, num unus, & idem duabus sobrinis jungi debeat.

a quod paragraphum nostri dicunt.

Atheniensium tam indigenæ, quàm advenæ, nulli alii rei vacabant, inquit magnus ille Paulus, quàm, ut aliquid novi tum proferrent, tum audirent. At verò Ecclesia Dei, vel sacra potiùs regia sanctissimæ Dei majoris Ecclesiæ, à sanctis Patribus decreta corroborans, omnem superfluitatem novitatis speciem habentem radicitus extirpat, & culmum veritatis ad ferendum fructum centuplum vult crescere. Proficit enim per Dei gratiam, in omni accepta Deo tam oratione, quàm negotio. Quamobrem etiam id, de quo non ita pridem quæsitum est in Synodo, non unus, & idem duabus sobrinis copulari debeat, minimè voluit ceu novum aliquid, in angulum aliquem cadere neglectum: sed uti rem alicujus momenti, & utilissimam, & ad examen publicum proposuit. Et quia sanctissimus ille sponsus ejus, & canonicarum traditionum meditator vigilantissimus, nos quoque participes ejus boni esse voluit; dicimus aliquos latam, & offensionis expertem (ut ipsi quidem ajunt) viam aperuisse Demetrio, qui Mariæ cujusdam maritus fuerat, matrimonio copulandi sobrinam ejus, nomine Theodoram. Et interrogati quamobrem, & quomodo ad hoc invitent; ajunt, hunc contractum ad septimum gradum pertingere, propterea quòd Demetrius, & Maria, conjux ejus mortua, personas duas, & consequenter gradus duos constituant, licèt ob consensum, & amorem mutuum pro una carne haberentur. Nam Maria, inquiunt, sextum cum Theodora gradum habuit, non itidem Demetrius, veluti qui ad personam septimam, & ejusmodi numeri gradum referatur. At secundum *a* thema, capitis XXXII. tituli V. libri XXVIII. Basilicorum, & canon

LIV. con-

LIV. coactæ in magni palatii trullo sanctæ, & universalis Synodi, usque ad gradum sextum matrimonia tam ex affinitate, quàm cognatione contracta, constrinxerunt. Quæ verò sextum sequuntur, liberè consiari permiserunt. Ac tametsi publicatus sit recens tomus synodalis, confirmatus etiam edicto Imperatorio, quo præcipitur, ne gradu septimo conjuncti per cognationem, matrimonia contrahant: tamen ad hoc ii, qui eodem gradu per affinitatem sese contingunt, non constringuntur. Magnum enim discrimen est inter necessitudinem sanguinis, & cognaticam simpliciter propinquitatem: ac magna inter hæc stabilita ratio est, alios copulans, alios dirimens. Etiam plerique horum syllogisticis argumentis, & per abductionem ad impossibile, rationes suas fulciunt. Ajunt enim, si concessum sit, Mariam, & Demetrium post copulationem unius fieri gradus, absurda multa concursura: verbi gratia, quod Demetrius, qui Mariæ maritus esse perhibetur, & patris ejus gener; ejusdem quoque filius, & frater Mariæ, propter identitatem gradus, sit appellandus. Atque hoc modo dirimendum matrimonium, veluti quod ad concubitum fratris cum sorore tendat. Addunt huic absurdo, eos etiam successiones ab intestato, tam ipsorum inter se, quàm parentum, immò etiam propinquorum, sibi vindicare. Consimiliter ex una parte duntaxat affines inter se copulari non posse, quemadmodum affinitatis jura statuant: sed idem in his faciundum, quod in nuptiis sanguine propinquorum. Atqui, dicunt, in consuetudine Romana, & statu Ecclesiastico, contrarium hodie observatur. Patruus enim, & fratris filius, cum amita, & fratris filia sine impedimento copulantur, qui gradum ex affinitate sextum obtinent: quum sanctissimi Patriarchæ Sisinnii tomus consobrinos vetuerit cum duabus germanis sororibus jungi. Urgent præterea, nec inhonesti quidquam, vel quod nomina confundat, ex eo irrepere, quòd idem duabus sobrinis copuletur. Tunc enim, inquiunt, accurata ratio nominum habetur, & eorumdem confusio cavetur, quum cognationi fortuna servilis intercedit: non quum ex copulatione conjugum legibus admissa, velut ex radice quadam, rami convenientes procreantur. Nam si datum fuerit, etiam in his observari nominum honestatem, & declinationem confusionis: velut in arctum redigetur etiam ex sobrinis natorum, & ordine sequentium licita, permittendaque conjunctio, ne videlicet contingat ex eis genitos appellari fratres simul, & progratorum ex sobrinis filios, quod minimè visum est. Et hæc qui-

a Num conjuges gradus duos constituant.

dem illi. Nos autem priùs considerabimus, an leges, atque canones censeant, conjuges pro duobus a gradibus habendos, ac propterea permittendum contractum, quo de agitur. Differamus igitur, & quasi repetamus ab ipso apice, quæ dicenda veniunt. Ajunt quidam vocem Domini, qua dicitur: Erunt conjuges una caro, non de identitate accipiendam, sed de amore, ac consensu. Quippe ni sic oraculum dominicum intellectum fuerit, copulati conjugio vocandi essent fratres, ac sorores, non conjuges: ac deinceps quoque sequerentur infinita incommoda, quæstionis absurditatem majorem efficientia. Audiant ergo, propositiones falsas, neque per syllogismos veritatem concludere, neque si dedueantur ad impossibile, subjecti naturam mutare: sed ex confessis, & errore carentibus solem veritatis oriri. Nam, verbi gratia, si quis dixerit: Omnis lapis anima præditus est, ac rursus ex altera parte: Omnis smaragdus est lapis: & concludat: Omnis ergo lapis smaragdus est anima præditus . . . . . . colliget, extremumque mendacium. Unde fit, ut qui dicit per matrimonii copulationem esse factam personarum confusionem, & conjugium esse transmutatum in fraternitatem, atque ita fortè absurditatem concludit; compedem linguæ, non veritatem colligat. Quod quum ita sit, quumque post conjunctionem sexus uterque maneat integer; nemo tam sit audax, ut ipsos conjuges appellet fratres, ad repræhensionem dicti divini, cujus verba sunt: Et conjuges ipsi non ampliùs erunt duo, sed unus. Quippe sicut oleaster propterea non dicitur oliva, quòd ramus ejus in olivam translatus sit: sic neque patrem puellæ, socerum puellæ vocabimus. Quo sanè stabilito per demonstrationem certam, & cui contradici nequeat, nostra quidem opinione: neque vocari licebit alterutrum eorum ad successionem defuncti, vel alicujus ipsi sanguine propinquorum, (quo enim id pacto? quum possessiones accipiant ii, quibus lege deferuntur) neque repræhendi poterit, aut abominandum erit, si quis dicat, iisdem finibus circumscribi contracta ex affinitate, & ex cognatione matrimonia. Sic enim canonibus est statutum. Quòd autem patruus, & fratris filius cum amita, & fratris filia copulentur; non est, ut aliqui perhibent, per consuetudinem non scriptam introductum, vel sine traditione per statum ecclesiasticum invectum: sed clarissimi Principis Domini Alexii Comneni sacrum edictum, prolatum ad suggestionem Bardæ cujusdam, qui Xerus appellabatur, & receptum

ceptum tam in republicæ, quàm in ecclesiarum archiva, & codices, ejusmodi nuptias liberas fecit, pro ea potestate, quæ cœlitus est Imperatoribus data. Non igitur accuratus Ecclesiæ status calumniandus est. Nam matrimonia ex affinitate, ad sextum usque gradum, & coartabat semper, & adhuc constringit, sicut etiam matrimonia ex cognatione, in quo tam legum, quàm canonum statuta sequitur, & tomum illius sanctissimi Patriarchæ Domini Sisinnii. Quod enim ad ejus eversionem ab Imperatoria sacra majestate promulgatum fuit, ut in effectum deduceretur, justus ille judex minimè voluit: quemadmodum norunt initiati, nec in errore versantur. Atqui, subjicit adversarius ne id quidem, quod confusio, & dedecus nominum introducatur, ob graduum necessitudinem, quò minùs primæ conjugis suæ sobrinam ducat Demetrius, impediet. Hoc enim illis etiam sanguine propinquis usuvenit, quum inter se copulantur, qui vel octavo se gradu contingunt; dum conjuges absque pudore vocamus, quos natura sobrinorum filios agnoscit, eorumque liberos pro fratribus ducimus, quum à natura sint prognatorum ex sobrinis filii. Cur ergo novum, & insolens sit, idem hoc etiam in præsenti quæstione dici, atque fieri? Sed audiant, qui hæc ita colligunt, quòd quemadmodum ea, quæ eis Gades sita sunt, accuratè sciri, ac describi possunt, quum quæ ultra Gades sunt posita, penetrari nequeant: sic etiam matrimonia, quæ intra sextum gradum contrahuntur, vel ipsa ratione naturalis æquitatis, & honesti damnentur: quæ autem extra gradus hosce suspenduntur, nec dirimantur, nec releventur; excepto solo ex sanguinis conjunctione septimo gradu. Nam illum tam imperatoria sanctio, quàm tomus synodalis sexti gradus matrimoniis exæquavit. Et quando jam satis disseruimus de iis, quæ nonnulli hac in quæstione allegant, sintne conjuges ad unum referendi gradum, nec ne: age proferamus etiam id, quod de quæstione proposita nobis ad animum accidit. Jurisconsulti, qui de nuptiis prohibitis docent *a* libro Basilicorum XXVIII. titulo V. bifariam cognatos dividunt: in adscendentes, & descendentes, liberos scilicet, ac parentes, & in eos, qui sunt ex transverso, fratres, inquam, & reliquos sanguine propinquos. Et ascendentium quidem, ac descendentium, sive legitimi sint, sive naturales, sive adoptivi,

a Vide eclogam Basilicorum nostrã.

b Vide titul. de Gradibus cognationis, d. lib. Basilicorum XXVIII.

c Vide titul. de prohibit. nupt. d. lib. Basilic.

nuptias prohibent in infinitum: eorum verò, qui sanguine propinqui sunt ad sextum usque gradum. Postquam ista subtiliter exposuerunt, & oculis subjecerunt *b* graduum profundam, & penetraru difficilem obscuritatem, (Impeditissima namque, ut Ipso um verbis utar, nec perceptu facilis est in iis, qui sunt ex transverso, graduum Inventio) disertis verbis hæc etiam adjiciunt: *c* Sunt & aliæ nuptiæ, non illæ quidem propter jus cognationis, sed propter affinitatem non procedentes. Affinitas autem est necessitudo quædam personarum, per nuptias nobis conjunctarum, citra cognationem. Ergo quem sibi gradum post initum matrimonium vindicent conjuges, purè illi quidem non docent: subjungunt tamen, aliquem nurum suam, vel privignam, uxorem ducere non posse; nec item novercam, vel socrum: quoniam matrum loco sunt. Consideranda igitur ante omnia graduum ratio. Sic enim exæquari poterit ipsa quæstionis velut acclivis Inæqualitas. Gradus cognationis dicti sunt à similitudine graduum alicujus scalæ. Nam sicut illæ principium sumentes à plaoicie, sursumque tendentes, ad descendendum, vel ascendendum nobis serviunt: sic & hi gradus, velut ejusdem naturæ rami ex radice, primo scilicet parente procedentes, cognationem perficiunt. Videamus ergo, quænam radix, ac principium inter virum, & uxorem sic intercedat, ut ad eam sit recurrendum, & ab ea, ceu gradu quodam, ad ipsos veniendum. Nulla prorsus existit. Non enim dicere quispiam potest, Petrus genuit Demetrium, idem & Mariam procreavit: quo fit, ut hi duorum graduum cognatione juncti sint. Hoc enim manifestissimum mendacium est. Multò magis cavebit aliquis, ne dicat, duas personas unius esse gradus. Quippe duæ generationes eos produxerunt. Nimirum qui dicunt, conjuges inter se vel unius, vel secundi esse gradus, quique per gradus eos ita librant, uti solent res illæ, quæ pondere, vel mensura, vel numero constant; similes sunt interrogantibus, quotuplex illud pavimentum lapis ambiat, & respondentibus, duplex; quippe cingitur à lapide prasini coloris, & ligno cedrino circumdatur. Quamobrem aptè dicemus, nec ad duorum graduum necessitudinem referri conjuges, (quo enim id pacto? quum eandem radicem, & generationem non habeant, ac ea causa naturaliter non dividantur;) nec etiam unius, & ejusdem esse gradus, propter unionem carnalem, ut instar musti commisceantur: (qua enim id fieri ratione posit, quum personæ maneant integræ? sed propter divinam, ac salutarem vocem domini, & Dei,

Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, qui dixit ad discipulos ipsum interrogantes, liceretne homini divertere ab uxore sua, disertis verbis, hæc subjungendo: Non legistis, eum, qui ab initio res condidit, marem, & fœminam ipsos fecisse! qua de causa relinquet homo patrem suum, & matrem, & adglutinabitur uxori suæ. Et erunt hi duo in carne una: quare non ampliùs duo sunt, sed una caro: propter hanc ergo vocem credere nos, & confiteri oportet, unum propemodum unanimem hominem, qui duabus in personis cernitur, pro conjugibus matrimonii causa haberi. Sed enim permittendum, ut rivus orationis etiam ad aliud quiddam opportunè currat. Unigeniti filii Dei incompræhensibilis erga nos demissio, & pignus salutis humani generis, quum ex aliis multis mysteriis magnificatur, tum etiam non parùm glorificatur ex benedictione nuptiali. Quippe quum obnoxia peccato conjunctio in universam hominum massam fuisset dedita post draconis invidiam, & mandati divini transgressionem; jamque malum illud ad alia mala majora processisset, curæ benigno Deo fuit regeneratio nostra, & instauratio. Itaque quum unigenitus Dei filius homo factus fuisset instar nostrum, propter nos, & omnem aliam administrationem implesset, ut nos beatitatem pristinam recuperaremus: etiam nuptiis in Cana Galilææ celebratis benedixit, & aquam desperationis in vinum veræ Dei cognitionis mutavit; certiores per hoc reddens homines, quòd fœminæ non ampliùs in doloribus liberos pariant, nec qui procreantur ex copulatione matrimoniali, ampliùs pristino more dicant: In peccatis concepit me mater mea: sed Dei præcepta servantes, quemadmodum primus ille parens noster ea servavit ante transgressionem, eumdem honorem, & gloriam consequantur, qua fuerint ornati primi parentes ante inobedientiam. Honorabile namque matrimonium est, & lectus impollutus, qui salutem largitur. Quæ quum ita sint, & quum tabulæ divinitus scriptæ dicant: Non ingredieris ad quemvis necessarium carnis tuæ, ut reveles pudorem ejus: quumque primus ille parens noster alibi responderit: Jam magis uxor mea est os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: equidem dicere non audeo, conjuges alterius, & alterius esse carnis, licèt eos in duabus personis video; ne meritò condemner illorum more, qui scriptas, & non scriptas traditiones reprobant, quæ sanctarum Ecclesiarum, & salutis nostræ pignus sunt. Immò potiùs statuo, pro una carne ducendos, & iisdem constringi maritum legalibus, & canonicis præceptis, quantum scilicet copulationem matri-

a l. semper ff. de reg. jur. & l. 42. ff. de rit. nupt.

matrimonialem attinet, quibus & conjux ejus includitur: idemque vice versa locum habere. Atque hac de causa non posse Demetrium in uxorem ducere Theodoram, quæ pro sobrina ejus habetur, propter matrimonialem ipsius cum Maria conjunctionem. Adsentior etiam iis, qui matrimonialem ejusmodi contractum Demetrii prohibent legum ratione, quarum verba a sunt: In nuptiis non solùm quid permissum sit, sed etiam quid honestum, considerandum est: dum animadverto, inhonestissimum esse, ut qui hactenus à sobrina vocatus fuerit affinis, postea conjux ejus appelletur. Et quia nonnulli utentes verbis scripti synodalis, publicati die xxx. mensis Julii, indictione duodecima, quum esset Patriarcha sanctissimus ille Dominus Theodosius, & nos officio Chartularii fungeremur, quo in scripto circa finem hæc verba leguntur:

Quum enim celebrata cum Joanne sponsalia, ceu minimè constantia, solvantur, propter ætatem Irenæ impuberem: rectè Irena subrino ipsius lege matrimoniali copulabitur. Quippe nec pro persona cognata Theodorus Irenam ducit, nec affinitatis vinculis, atque legibus constringitur, propterea quòd sextum ex affinitate gradum excedat.

His ergo verbis utentes, tacere nos volunt, qui jam contraria statuimus: primùm respondemus, cujusque temporis Chartularium, qui os Patriarchæ esse ducitur, ea tum dicere, tum scribere, quæ capitis ipsi vertex instar nubis, & aquæ suppeditat. Ideoque nec culpandos, nec laudandos nos putabit quispiam, qui vel rectè præsentem causam, vel è contrario malè literis complexi simus. Nam more Baruchi, scribæ munere functi, notavimus quæcumque lamentando Hieremias lamentatus est: & Aaronis more proloquuti sumus, quæcumque loquendo loquutus est Moses. Quod autem intellectus nostri tenuitati tunc remedio fuit in hac quæstione, perscriptum à nobis est in capite secundo tituli XIII. Nomocanoni. Quippe caput illud interpretantes diximus, etiam edicto imperatorio prohibitum esse matrimonium, quo de agitur, licèt in acta relatum non fuerit, & Ecclesia promulgationem ejus non sustineat. Deinde subjicimus, quòd quum notationes priscæ proferuntur, & consimilia scripta ecclesiastica, pravissimum, & ipsa culicem quæstionis hujus percolantia, & iniquissimam hanc appellantia; nemo sanè, qui ad evidentem rationem non conniveat, illa quidem velut abolita damnabit, præsertim quum nec sublata sint diser-

disertis verbis à præsenti synodali scripto; quæ autem hoc continentur, canonicis, & legalibus doctrinis exæquabit. Itaque respiciens in autorem, & consummatorem fidei nostræ Dominum, ac Deum nostrum Jesum Christum, rursus ajo: quod quum magnus ille Paulus dicat, Mulier corporis sui potestatem non habet, sed maritus: ac similiter, maritus potestatem corporis sui non habet, sed uxor: Itidemque quum sacri canones, & tomi cum vidua matrimonio copulatum pro digamo habentes, ad gradum aliquem ecclesiasticum pervenire non sinant; ac ne defuncti quidem sacerdotis conjugem ad secundas transire nuptias permittant, idque omnino propter identitatem corporum ipsorum, quemadmodum manifestò liquet ex XXXI. & XXXII. capite tituli primi, libri III. Basilicorum, & XLIV. canone sancti Basilii, cujus in fine dicitur: Nos diaconæ corpus, veluti, quæ consecrata fuerit, non ampliùs in usu carnali esse permittimus: equidem judico canonicum, & legitimum esse, ut autoritate prohibeatur ecclesiastica, quò minùs unus, & idem duabus sobrinis copuletur, ac vice versa: sique clam ejusmodi quid factum fuerit, de industria dirimatur, & interveniente pœna corrigatur.

Ex Michaelis Attaliatæ Proconsulis, & Judicis. Synopsi Michaelis Ducæ Imperatoris jussu facta.

TITULUS XXIV.

DE SPONSALIBUS.

Quære librum Basilicorum XXVIII.

Sponsalia sunt mentio, & promissio nuptiarum futurarum. Nudo etiam consensu sponsalia constituuntur, & inter absentes: si quidem absentibus de hoc constet, vel si ratum habuerint.

Qui quod agitur intelligit, rectè sponsalia contrahit, hoc est qui non minor est annis VII.

Præsides in ea provincia, quam administrant, sponsalia contrahere non debent. Si verò id fecerint, arras ab se datas perdunt: eodem etiam locum habente in filiis, & nepotibus, & propinquis, & domesticis, & adsessoribus, & omnibus, qui sunt ejus participes; siquidem opera præsidis sponsalia contraxerint.

xerint. Si tamen ei puella, postquam magistratu abierit, nubere vult: matrimonium ratum est.

Ea natura est arræ, ut si quidem is, qui arram accepit, repudiaverit: duplum ejus, quod accepit, reddat: sin id faciat, qui dedit, arras amittat. Quòd si pœnæ stipulatio intervenerit, præstat eam, qui repudiat. Sin alterutra pars monasterium fuerit ingressa, citra damnum arra solvitur.

Quæcumque matrimonii causa data fuerint, matrimonio non succedente, redduntur ei, qui dedit.

TITULUS XXV.

De Nuptiis.

Quære titulum iv. ejusdem libri.

NUptiæ sunt maris, & fœminæ conjunctio, & omnis vitæ consortium: divini, & humani juris communicatio.

Nuptiæ non consistunt, nisi & qui copulantur, consentiant; & quorum in potestate sunt.

Justas nuptias inter se Romani contrahunt, quum ea, quæ de nuptiis legibus caventur, observant. Est autem necesse, masculos esse puberes, fœminas viri potentes: hoc est, illos excessisse decimum quartum annum, has duodecim annis esse majores.

Minor annis duodecim nupta, tunc fit legitima uxor, quum apud virum duodecim annos expleverit.

Non contrahitur matrimonium ab iis, qui sunt illustres, & his ulteriores, nisi fiant instrumenta matrimonialia. Verùm hæc subtilitas remittitur subditis imperio Romano barbaris, licèt ejusmodi dignitatibus ornati sint.

Sponsalia secundùm leges cum persona sex annorum non contrahuntur. Si verò contracta fuerint, alterutra partium volente solvuntur.

Scholium Pselli.

Nuptiarum dissolutio reciproca est. Nam appendice dotalium instrumentorum non est opus, nisi quis protospatharius sit, aut majoris dignitatis.

Doca-

Dotalium instrumentorum confectione matrimonium confirmatur, licèt ipsa mulier olim concubina, licèt liberta fuerit. Itidem liberi, sive præcedentes, sive postea nati, sui fiunt. Præter hæc, & illud sanciendum putavimus, ut si quis filium, vel filiam habens ex uxore libera, cum qua constare matrimonium potest, dixerit in instrumento sive forensi, sive manu propria conscripto, quod trium fide dignorum testium subscriptionem habeat, sive in testamento, sive apud gesta monumentorum, hunc, vel hanc esse filium, filiam suam; & non adjecerit, naturalem: ejusmodi liberi sui sint, nec ab eis alia ulla probatio requiratur.

TITULUS XXVI.

DE NUPTIIS PROHIBITIS.

Quære titulum v. ejusdem libri.

COgnatio nomen est generale, quod in tria dividitur: in ascendentes, in descendentes, & in eos, qui ex transverso sunt. Et ascendentes quidem sunt, qui nos genuerunt; veluti pater, mater, avus, avia, & qui adhuc supra hos sunt. Descendentes verò, qui ex nobis gignuntur; veluti filius, filia, nepos, neptis, & qui adhuc infra hos sunt. Ex transverso sunt, qui neque nos genuerunt, neque gignuntur ex nobis; sed stirpem nobiscum, radicemque communem habent, veluti frater, soror, patruus, amita, & qui ex his descendunt.

Gradus autem numerantur ex generationibus. Quot enim generationes, tot gradus sunt, v.g. filium ego genui. En una generatio gradum unum absolvit. Adeoque filius meus primo mihi gradu est, nepos secundo, pronepos tertio. Avus rursum secundo mihi gradu est. Nam me genuit pater, patrem avus. En duæ generationes; adeoque secundo gradu me contingit avus. Similis est eorum ratio, qui sunt ex transverso. Nam si te quis interrogaverit, frater quoto gradu sit: responde, secundo. Nam pater fratrem meum genuit, & idem me quoque pater. Ergo duæ generationes duos gradus absolverunt. Si quis interrogaverit, patruus quoto tibi sit gradu: dic tertio. Nam avus patrem meum genuit. Idem avus fratres patris mei, & pater me. Ecce tres generationes gradus tres absolverunt. Atque ita deinceps generationes numerans, connumerabis & gradus.

Nuptiæ prohibitæ sic agnoscuntur. In ascendentibus, & de-

scendentibus in infinitum prohibitæ sunt nuptiæ, licèt ex legitimis ipsæ personæ nuptiis non existant. Quippe nequit aliquis matrem suam ducere, vel aviam, vel filiam, vel neptem: sive naturales sint, sive adoptivæ.

Etiam inter personas ex transverso, prohibitio quædam est ad septimum usque gradum. Prohibentur enim fratres, & fratrum liberi, & qui ex iis gignuntur. Sobrinorum verò liberi copulantur. Sunt & certarum personarum prohibitiones, quæ propter perspicuitatem heic non sunt positæ.

In nuptiis non modò quid concessum sit, verùm etiam quid deceat, spectamus.

TITULUS XXVII.

De Solutione Matrimonii.

Quære titulum vii. ejusdem libri.

Matrimonium remotissimis temporibus ex consensu conjugum, vel ex unius partis voluntate solvebatur. Postea verò per Justiniani novellam expressè positæ sunt causæ, propter quas solas tam vir, quàm uxor divortium facere possunt; & absque his, irrita matrimonii solutio est. Atque uti rem compendio declaremus, cui factæ sunt ab altero circa vitam ipsam insidiæ, repudium mittere potest. Item quum maritus uxorem adulterii accusatam non convicerit, uxor repudium mittere potest: aut si convicerit, ipse divertere potest. Item si constet, alterutrum insidias imperatori struxisse, vel aliquibus earum fuisse conscium, nec denuntiasse: potest alter conjugum illi repudium mittere. Dirimitur etiam matrimonium ex causa reprehensionis experte, quum alterutra pars solitudinarium exercitium elegerit, vel quum maritus toto triennio non facit ea, quæ viris natura tribuit. Ex duabus hisce causis, rasura scilicet, ac lecti cessatione, matrimonium ita sine pœna solvitur, ut nec *a* hypobolum à viro præstetur. Ac siquidem sui juris est puella, dos ipsi soli redditur: sin filia familias est, & à patre dos data fuerit, communis est eam tam patri, quàm filiæ. Quòd si secundas ad nuptias illa transeat, pater minuere dotem, quam dedit antea, nequit.

a quid ut hypobolum, intelliges ex titul. 11. ecloges Leonis, & Constantini, infra, nimirum dotis incrementum.

nequit. Cæterùm maritus in dote, si non æstimata sit, eam diligentiam debet, quam in suis.

Quum vir constante matrimonio mortuus fuerit, rectè mulier dotem petere potest, hærede viri nihil ex ea retinente.

Si res dotales, aut partem earum, mulier amoverit: rerum amotarum actione convenitur, non furti in duplum: sicut etiam fit in filia, quæ patri furto quid surripuit. Nam actio, quæ irroget infamiam, adversùs uxorem non datur. At verò si post divortium res amoverit, judicium furti datur.

Quum prima, & secunda dos à viro petitur, potior est prima, ut de ea fatis detur. In rebus autem, quæ exstant, & agnoscuntur, quælibet jus prælationis habet adversùs eam partem, quæ attulit alia.

Hypobolum ex pacto viri proficiscitur. Ac siquidem vir dotem acceperit, & prior decesserit: unà cum dote datur & hypobolum mulieri, quantum convenerit. Sin nihil convenerit, computatur in semissem dotis. Ac siquidem liberos nullos habet, præter usumfructum habet, & proprietatem. Sin exstant liberi, mulier quidem usumfructum habet; at proprietatem post ejus mortem, liberi. Habet etiam ipsa parem cum uno ex liberis portionem jure proprietatis, nisi nuptias secundas contraxerit. Sin ante virum mulier decesserit, hypoboli petitio locum non habet, sed solùm *a* theoretrum, quod est in quamlibet libram dotis solidi sex.

a quæ sponsalicia largitas est.

b Ex DELECTU *legum compendiarius, factus ab* LEONE, *&* CONSTANTINO, *sapientibus Augustis, ex Institutionibus, & Digestis, & Codice, & Novellis magni illius* JUSTINIANI *Constitutionibus; atque etiam correctio in id, quod æquius melius est: edita mense Martio, indictione* IX. *anno ab orbe condito* *c* VI CIↃ. CCCXLVII.

b Ex membranis antiquissimis Joan. Sambuci.

c Christi 838.

TITULUS XI.

De contrahendis, & dirimendis sponsalibus, deque pupillis sponsalia contrahentibus, ac deinde pœnitentibus.

a idest, incrementa dotis, ante nuptias promissa.

1 Sponsalia Christianorum contrahuntur ab iis, qui primæ sunt ætatis, post annum septimum, & deinceps; tam contrahentium voluntate, quàm parentum & propinquorum consensu: siquidem legitimè contraxerint, nec sint ex earum personarum numero, quæ prohibitæ sunt: hoc est, contrahuntur per arras, sive per *a* hypobola, sive per scripturas.

2 Quòd si visum fuerit ei, qui arram dedit, divertere, nec perficere contractum: arram ipse amittat.

3 Sin puellæ pars divertere, nec contrahere voluerit: arram duplam præstet, hoc est, arram ipsam, & alterum tantum.

4 Quòd si quis interveniente scriptura rem peregerit, & divertere visum fuerit: secundùm id, quod scriptura continetur, puellæ satisfaciet.

5 At si puellæ pars absque causa lege cognita divertendum statuit, eandem summam, cujus ille nomine per scripturam cavit, sponso præstet, unà cum cautione ab ipso exposita, & à contractu discedat.

6 Si quis autem puellam petierit, & fortassis ex odio, vel alio quocumque modo nuptias exequi supersederit: ad biennium puella tenetur, hominem ut expectet, quo decurso, testationem puellæ pars interponat, ut nuptias exequatur, ac si quidem paruerit, rectè est: sin autem, puellæ facultas esto nubendi, cui volet, ea quoque retinenti, quæ à sponso consequuta fuit.

7 Quòd si pueri sunt, parentibus orbati, sive masculus, sive puella, & hortatu, ac suggestione quorumdam sponsalia contraxerunt, quorum postea pœnituit: ad decimumquintum annum usque licentiam habeant citra pœnam rescindendi contractum, ut qui pupilli sint, nec quid ipsis expediat, intelligant. Ad pubertatem verò si pervenerint, & aliquid peregerint: tanquam intelligentia præditi, nullam ex eo tempore divertendi facultatem habeat.

T I-

TITULUS XII.

De Nuptiis

Concessis, & prohibitis, primis, ac secundis, interveniente scriptura, vel non interveniente, contractis.

1 NUptiæ Christianorum, vel interveniente scriptura, vel citra scripturam, contrahuntur inter virum, & mulierem, ita ut ætas apta sit ad copulationem; viri quidem, ab anno quintodecimo; mulieris autem, ab anno decimotertio: utrisque volentibus, & parentum consensu præcedente.

2 Contrahere prohibiti sunt, quotquot ex sacro, & salutari baptismate sibi invicem conjuncti sunt: hoc est, susceptor arcetur ab ejusmodi filia, & ipsius matre. Similiter & filius ipsius ab ejusmodi matre. Tum quotquot ratione sanguinis esse inter se propinqui adgnoscuntur, hoc est, parentes cum liberis, fratres cum sororibus, & horum liberi, qui fratrum liberi dicuntur, & qui ex his duntaxat gignuntur liberi. Tum quotquot ex affinitate cognati agnoscuntur. Vitricus cum privigna, socer cum nuru, privignus cum noverca, frater cum fratria, idest, uxore fratris. Similiter pater, & filius cum matre, ac filia, duo fratres cum duabus sororibus. Præterea qui per unum susceptorem ex sancto baptismate renati sunt fratres spirituales, hoc est masculus, & puella. In omnibus hisce modis nec sponsalia contrahantur.

3 Interveniente scriptura nuptiæ contrahuntur, per comprehensum scripto dotale instrumentum, factum sub tribus fide dignis testibus, secundùm ea, quæ recens à nobis piè sanciuntur: ita ut in eo maritus de accepta dote integra caveat, deque certa, & omnis imminutionis experte dotis custodia, sive conservatione; unà cum ea summa, quæ fortè illi dotis augendæ nomine ab ipso data est: adscribendo denique in hoc instrumento, quod ab eo exponitur, liberorum non extantium casu.

SCHOLIUM.

Casus non exstantium liberorum, est pars quarta dotalis hypoboli, sive dotis aucti. Exempli causa. Dos mulieris viginti libræ sunto. Promissum mulieri à marito hypobolum, vel incrementum dotis, libræ decem. Utraque permista fiunt libræ triginta. Harum triginta librarum pars quarta sunt libræ septem semis. Igitur à marito præter hypobolum, hæ quoque libræ VIIS exiguntur.

Quo fiet, ut inter eos Instrumenta tria conficiantur; duo quidem pro dotis syngraphis, tenoris ejusdem: tertium verò, quod uxori à marito exponitur. Nec stipulato promittetur, aut conscribetur à marito donatio propter nuptias, quæ dotis ad ipsum allatæ summam æquet.

4 Quòd si fato mulier absque liberis ante maritum defuncta fuerit, quartam ille dumtaxat partem totius (ut dictum est) ab se cautæ dotis lucri sui nomine retinet, ac reliquam ejusmodi dotis partem quartam cum semisse, vel ex suprema voluntate mulieris hæredibus restituat, vel aliis ejus hæredibus, qui ad successionem ab intestato vocantur, reddat.

5 Sin maritus ante conjugem suam sine liberis decesserit, consimiliter illa præter integram cautæ sibi dotis restitutionem, etiam partem quartam dotis ipsius ex relictis à marito suo omnis generis rebus, sive bonis, nomine casus non exstantium liberorum, pro lucro suo capiet, & omne, quodcumque superest, patrimonium ejus, vel ad hæredes ex suprema ipsius voluntate, vel ad eos, qui ab intestato ei succedunt, perveniet.

6 Quòd si liberis exstantibus, ante conjugem suam maritus decesserit: uxor, idest eorumdem liberorum mater, in potestate sua tam dotem ipsam, quàm universum mariti patrimonium retineat, & universam domus ipsa curam, & administrationem gerat, ubi palam descriptionem publicam fecerit, hoc est, inventarium totius, quod à marito suo relinquitur, patrimonii; & omnis generis facultatum, adjectis eidem descriptioni, vel inventario cunctis etiam bonis suis dotalibus, & iis, quæ in rebus extra dotem constitutis habet: quæ quidem extradotalia demonstrare per efficaces probationes debet, ea se scilicet in viri sui domum attulisse, jamque post mortem illius exstare;

exſtare; non habentibus ejus liberis, in quo reſiſtant, vel paternam ab ea ſubſtantiam repoſcant: ſed potiùs è contrario nullum non honorem, & obedientiam, juxta Dei præceptum, ei tamquam matri deferentibus: quum interim haud dubiè debeat ipſa, veluti parentes decet, educare liberos, & collocare nuptum, & dotem conſtituere, prout ipſa voluerit.

7 Jam ſi contigerit ad aliud eam matrimonium tranſire, facultatem liberi ejus habeant, eam dimittendi, & omnia paterna bona ſua, nullis deficientibus, recipiendi: modò ſolam dotem ab ipſa patri eorum allatam, unà cum donatione, quam in eam dotis augendæ caoſa contulit, matri præſtent.

8 Si verò liberis exſtantibus, ante maritum ſuum mulier deceſſerit: maritus ejus, hoc eſt, ipſorum liberorum pater, tam dotem, quàm omnia bona in rebus extra dotem poſitis conſtituta, ſua in poteſtate retinebit, quum & illi patris adhuc in poteſtate ſint; qui curam domus, & adminiſtrationem univerſam geret, nullam liberis facultatem habentibus adverſandi patri, vel maternam ab eo ſubſtantiam repoſcendi: ſed è contrario potiùs omnem honorem, & obedientiam, ſicuti parentibus convenit, ei tam verbis, quàm ipſa re deferentibus, ſecundùm id, quod per ſcriptum legimus: Tam facto, quàm verbis: honora patrem tuum, matremque tuam: ut ab eis votum ſuper te veniat. Quippe votum patris liberorum familias fulcit, & execratio matris fundamenta earum radicitus evertit. Nam eorum procreati ſunt opera, & quid eis reddent ejuſmodi, quale conſequuti ſunt ab ipſis? Hæc enim & Paulus Apoſtolus confirmans, dixit: Vos liberi parentibus veſtris obedite. Nam hoc fieri par, & æquum eſt. Vos parentes ne provocate liberos veſtros ad iram, ſed eos in doctrina, & *a* lege Domini educate.

a à l. monitis.

9 Quòd ſi uſuvenerit, ut hic etiam ad alterum matrimonium progrediatur, liberis adhuc impuberibus: materna illorum bona citra decrementum, & imminutionem ab eo cuſtodiantur.

10 Sin ætatem legitimam attigerunt, citra deliberationem ipſis ea bona, ſiquidem ita voluerint, exhibeantur.

11 Quòd ſi conjugum alteruter, ſive maritus, uxor, abſque ſecundo matrimonio ſuis à liberis ſecedere voluerit, iis necdum adultis, nullam id agendi licentiam habeat, ſed eorum curam, & adminiſtrationem ſuſcipiat, quemadmodum Apoſtolus ille dixit:

xit: Vidua, quæ liberos, aut nepotes habet, primùm discat in propriam domum pietatem exercere. Nam id acceptum est coram Deo.

12 Si verò liberi plenam, & perfectam ad ætatem pervenerunt, & ad tractanda vitæ negotia se contulerunt, jamque suæ administrationi obeundæ sufficiunt, & parentum alterutet ab eis secedere voluerit; ejusmodi persona licentiam habeat, ut præter rerum suarum retentionem, etiam unius ex liberis portionem, pro numero liberorum accipiat.

13 Si verò quia ob artam rerum suarum conditionem, vel humilitatem, cum existimatione quadam, & interveniente scriptura, nuptias exequi nequeat: etiam citra scripturam matrimonium contrahitur sine dolo, malo contrahentium personarum, & parentum earum consensu: sive hoc in ecclesia per benedictionem, sive coram quinque amicis notum fiat. Sed & quilibet mulierem liberam in domum suam deducens, & administrationem ei familiæ suæ committens, & in carnales cum ea complexus veniens, citra scripturam matrimonium cum ea contrahit.

14 Quòd si nullis ex ea liberis susceptis, eam expellere conatus fuerit è contubernio suo, sine causa legibus approbata; præter restitutionem earum rerum, quas ipsa, ceu credi par est, ad eum attulit; quartam quoque bonorum suorum partem ei dabit.

15 Quòd si quis inopi mulieri matrimonio legitimo conjunctus fuerit, & maritus absque liberis, & intestatus decesserit: accipiet uxor de mariti bonis, nomine casus liberorum non extantium, partem quartam, pro mariti facultatibus, ad decem usque libras. Quòd si mariti facultates eæ sint, ut quarta pars decem libras excedat: nullam ea licentiam habeat amplius capiendi, quàm illas decem libras, ut ante diximus; & quæ reliqua sunt, ad mariti hæredes ab intestato, vel iis non extantibus, ad fiscum pervenient.

16 Secundæ nuptiæ contrahuntur à personis non prohibitis, sive in scriptis, sive citra scripturam, in hunc modum. Siquidem liberis careant, citra disceptationem juxta modos superiùs expositos contrahant.

17 Sin persona secundas nuptias contrahens, liberos habet, non liceat ei secundæ personæ plus, quàm unius ex liberis de priori matrimonio suscepti portionem, ex bonis suis quocumque largitio-

largitionis modo, donare. Confimiliter & in muliere, quæ fecundo fe nuptum collocat, idem hoc obfervetur: nimirum ea duodecim menfium tempus, à morte prioris mariti, fervante.

18 Quòd fi hoc tempore necdum finito fecundas ad nuptias tranfierit, infamis erit: nec à marito priori quidquam ullo modo lucrabitur. At verò fi præftitutum, ceu diximus, temporis fpatium fervet: dotem fuam accipiet, unà cum donatis ei fortè rebus dotis augendæ gratia. Eodem modo maritus quoque fecundas ad nuptias fefe conferens, nihil ab uxore priori confequetur. Quòd fi extent impuberes liberi, tantifper eorum res ipfe cuftodiet, donec adulti facti fuerint.

19 Sin jam adoleverunt, ab eo ipfo tempore ftatim eis in folidum bona materna tradantur.

20 Quòd fi fobolem ex altera conjuge fufceperit, & ipfum decedere contigerit: facultas efto tam primis, quàm fecundis liberis, patri fuo fuccedendi, eodemque modo, & matri.

21 Mulier fecundas nuptias contrahens, quæ de priori conjugio liberos habet, ante fecundi matrimonii contractum liberis fuis tutores petat, & ita contrahat. Quippe fi hoc factum non fuerit, & funt ipfius, & erunt fecundi mariti bona obligata nomine reftitutionis earum rerum, quæ ad minores ex fucceffione paterna pertinent.

TITULUS XIII.

De Solutione Matrimonii.

1 INdiffolubilem eorum, qui fub lege matrimonii unà vivunt in Domino, conjunctionem effe, ipfa nos opificis, & creatoris omnium Dei fapientia docuit. Is enim, quum hominem de nihilo rerum in naturam produxiffet: non ad eumdem modum, & mulierem fingere voluit, quamvis id facere poffet: verùm hanc è viro condidit, ut unitæ, copulatæque fapienter unius in perfonis duabus carnis infeparabilem conjunctionem fanciret. Quamobrem nec mulierem, quæ fuggeftione ferpentis, illius amaræ viro deguftationis occafionem præbuerat, ab eo feparavit: nec viciffim virum, qui herile mandatum unà cum conjuge violare fuerat aufus, ab ea fejunxit: fed peccatum punivit, conjugium minimè diffolvit. Huic ergo nos efficaci, & rurfus ipfius conditoris pronuntiatio confirmatæ legi,

legi, quum à Pharifæis interrogaretur, an homini qualibet ex caufa fuam uxorem repudiare liceat, & ipfe refponderet, à Deo conjunctos nequaquam ab homine feparandos, extra caufam fcortationis; huic ergo nos, & infiftentes, & obtemperantes, nequaquam aliud quidpiam de hoc ftatuere volumus. Sed enim quum ipfa malitiæ fpecies nimiopere fe pluribus hominibus ingerat, eaque de caufa quoties parùm amanter erga fe invicem affecti funt, ex variis caufis, quæ nonnunquam ita comparatæ non funt, confuetudinem vitæ mutuam dirimant: difertè inferi huic legum promulgationi, quibus ex caufis matrimonia folvantur, neceffarium duximus.

Maritus ab uxore propter hafce caufas dirimitur.

2 Si uxor ejus fcortata fuerit. Si quocumque modo infidiata fuerit ejus vitæ, vel alios infidiari fciens, idipfum ei non detexerit. Si leprofa fit.

3 Similiter, & uxor à marito propter hafce caufas feparatur. Si maritus à tempore matrimonialis contractus cum uxore fua triennio coire nequiverit. Si quocumque modo vitæ uxoris infidias ftruxerit, vel quum alios ftruere fciret, idipfum ei non indicaverit. Si denique leprofus fit.

4 At fi contigerit, ut alteruter eorum poft initum matrimonium occupetur à malo genio: non poffunt ex hujufmodi caufa à fe invicem feparari. Abfque his verò caufis cognitis, viri, mulierifque confortium dirimi non poteft, fecundùm id, quod fcriptum eft: Quos Deus conjunxit, homo non feparet.

F I N I S.

AD LECTOREM SOCIETAS ALBRITIANA.

Cum *Hermolaum Albritium* frequentia itinera, plurimæque ob inftaurandam Societatem diftinuerint curæ, quin perpetuò typis adeffet, ignofcat humaniffimus Lector, fiquid in hoc libro minus culti deprehenderit; & pro certo habeat fore, ut è prælo Societatis, modò abfolutæ, cætera in pofterum Opera prodeant elegantiffima, prout in Cap. 18. Legum fanctum eft.




ALLEGRI
LABORAT
RESTAURO
LIBRI
PARMA



